

29409.

Dissertatio inauguralis medica

De methodo specifica,

quam,


ut Gradum, privilegia et immunitates
Doctoris in utraque medicina rite
capiat,

consensu ordinis medicorum amplissimi in
Universitate Caesarea literarum
Dorpatensi

die Septembr. MDCCCVI

hora X publice defendet

Auctor



Otto Gottl. Leonh. Girgensohn,

Livonus

Artis medicae Magister.

Rigae.

Typis Julii Conr. Dan. Müller.

Mit Bewilligung der kaiserl. Universitäts-Censur zu Dorpat.

DR. DANIEL GEORGIUS BALK,

Pathologiae et Therapiae P. P. O. instituti clinici Director
Lectoribus

S. P. D.

Paucis hanc dissertationem verbis
praefari, quae tum ad objectum scri-
pti, tum ipsum ad scriptorem faci-
unt, nec inutile, nec lectoribus inui-
cundum fore credidi. A primo jam
momento, ex quo Professoris ordi-
narii in hac Universitate literarum
provincia mihi mandata est, qui cam-
pi in vasto medicinae ambitu adhuc

830346

magis magisque essent excolendi mente revolvens, discentibus consului, ut, cum materiam pro specimine inaugurali elaborando sibi eligerent, therapiam potissimum generalem respiciant, quippe quae jacta artis exercitio fundamenta solidiora offerat et ad eum perfectionis gradum hucusque nondum provecta sit, ut ab illa nil amplius possit desiderari.

Medicorum ordo in academia nostra hanc sibi ipsi legem stabilivit, ut e numero Professorum iste munere moderatoris in specimine inaugurali revidendo fungatur, cujus ad provinciam objectum dissertationis referri possit; idem actui disputatorio primo

praesidet. Hanc ob causam specimen praesens mihi censori oblatum fuit, et nullus haesito, quin laetus lubens et religiose fatear: nec lineam quidem opusculi hujus delevi, addidi, aut qualibet ratione mutavi; ita, ut ad verbum omnia, quod juveni medico rarissime modo accidere solet, ab ipso auctore, alieno calamo non egente, elaborata sint. Quanta illi perspicacitas ingenii, quantaque sit cogitandi cum diligentia acies, sat facili negotio e speciminis lectione elici potest. Liceat denique addam, commentationem Candidati nostri in certamine literario anni praeteriti, unanimi facultatis medicae suffragio, publice praemio esse ornatam.

Gratulor abiturienti de novis no-
tionum divitiis, quas e scholis, quo
tendit, exotericis iisque celeberrimis
colligere operam navabit; redituro
gratulor de publica aestimatione, qua
dignum tum juvenus optime collo-
cata, tum rara morum castitas, illum
omnibus reddiderunt.

Pars prima.

*Meletemata generalia de vita organica re-
busque externis, quae in eam vim exserant.*

Quum ea methodus operandi, quam reme-
dia specifica habent, intelligi non possit, nisi
fundamenta generalia de vita organica, vel de
vitae processu chemico, aequae ac de omnium
quae extrinsecus in corpus influant operandi
ratione stabilita sint, quumque haud praemis-
sis generalibus illis fundamentis, specialia
probari nequeant — ex re mihi esse videtur,
quaedam de vita organica cogitata ante reli-
qua referre.

Si ad varias hac de re opiniones ac theo-
rias attenderis, tum eam firmissimo argumen-

torum vinculo probantes, tum eandem demonstrationum serie non minus splendida refutantes — haesitabis, quo te vertas. Alii organismi phaenomena omnia ex vivente principio in eo habitante derivant — sic Stahl, ejusque asseclae. Alii similem quidem opinionem fovent, at multa phaenomena inde explicari non posse fatentur. Hic processus animales et vitales corporis propriis legibus submissos esse credit — ille oppositam viam ingreditur, laborans demonstrare, omnia quae in organismo locum habeant, partim generali naturae norma, partim specialibus chemiae atque physices legibus niti; ut Chr. Erh. Schmid. Alii unicuique functioni, unicuique processui, imo unicuique mutationi abnormi corporis animalis vim substratam esse propriam credunt — alii vim hanc omnino negant, facultatem solummodo corpori tribui posse dicentes, dementiam eorum objurgantes, qui principium vitae organicae vim esse credant — ut Brown et Röschlaub. Nonnulli persuasum sibi habent, quaecunque in corpus vim exe-

rant, id nulla alia ratione nisi vires vel excitando, vel infringendo, vel immutando efficere — alii materia tantum effecta. Sunt et qui amborum opinionem jungant, neque quicquid alio modo in corpus influere posse dicant, nisi simul corpore ac viribus affectis — quemadmodum Hufeland.

Quid itaque verum, quid minus est? Ad hanc quaestionem dijudicandam vires nobis non sufficiunt. Ast lubet ex hac illave opinione ea assumere, quae proposito nostro inserviunt.

Corpus organicum iisdem ex elementis per totam naturam diffusis compositum est, quae singula et corporibus inorganicis insunt, eo vero discrimine, ut in illo *elementa haec tum majori numero conjuncta sint, tum alia ratione connexa reperiantur*. Haec differentia causam continet, quod in corpore organico prorsus alia phaenomena quam in corpore inorganico appareant. Ex illorum elementorum generalium compositione, quae a

compositione in caeteris naturae phaenomenis locum obtinente plane discrepat; exoritur aliquid necesse est, quod propriis sibi dotibus, id vero est, propriis viribus, facultatibusque gaudeat. Etenim quemadmodum cogitari nequit, vim aliquam aut adeo facultatem aliquam sine materia in qua inveniuntur, esse — ita materia quoque, quae viribus facultatibusque destituta sit cogitari haud potest. Quo quidem eorum sententia infringitur, qui corpus humanum omnibus viribus carere contendunt. Ex varia ratione, qua organismi partes variae mixtae sunt, oriuntur propterea tum variae et vires et facultates harum partium, tum earundem functiones omnis generis et quod earum ope tandem producit. Quamquam itaque corpus animale vires, habitudinesque atque facultates possideat, per se tamen nullo modo fieri potest, ut per corporeum aliquid in has vim aliquam sine medio aliquo — immediate — exserere possimus. Vires etenim facultatesque incorporeae sunt; sunt qualitates materiae et per

se immutabiles. Per materiam itaque solam, mediate, vires atque habitudines et facultates affici possunt. Verum cum mutationes materiae, per quas vires mediate mutantur, totum quod attinet, hactenus prorsus ignotae sint, cumque nondum quisquam repertus sit, qui in quaque *virium* mutatione, quae perspicui possit, *materiae* quoque mutationem, quae illam alteram effecerit, nobis monstrare potuerit — maximi certe pretii eorum physiologorum atque pathologorum sunt labores, qui materiae mutationes nondum satis explicatas ex *virium* facultatumque mutationibus derivare studuerunt, praesertim quando ea ingenii sagacitate praediti sunt, qua *Jos. Frank* doctrinam Brownianam exposuit. (v. *Ej. Erläuterungen der Erregungstheorie. Heilbronn und Rothenb. 1803.*) Quae laus eatenus vero tantum iis tribui potest, quatenus ingeniosa theoremata substituunt in locum eorum, quae experientia deficiente, nondum satis evidenter constitui possunt, haud vero quatenus speculationis viam ingressi omnia penitus perve-

stigant, quae si experientiam ducem secuti essent, non invenissent. Ubi itaque materiae mutationem in morbo aliquo nondum investigare possumus, sufficiat nobis necesse est, morbum hunc secundum Brunonis de irritationis conditione sententiam dijudicari atque tractari. Quod cum saepissime fieri debeat, perlucet inde magna utilitas et in praxi magnus usus, quem medico ingenii vires adhibenti praebet. Etsi itaque ad nostra usque tempora hoc systemate nullo modo carere possimus, omne tamen et physiologi et pathologi studium in eo positum esse debet, ut quantum ejus fieri possit, in posterum eo carere possimus, hoc est, ut organismi leges materiales constituat, quibus constitutis systema Brownianum corruat necesse est. V. *Hufeland System der practischen Heilkunde* Pag. 72. §. 29. — *Chr. W. Schmid Kritik der Lehre von den sthen. Krnkhtn.* Pag. 254, 255. Ex his, quae diximus, duobus modis corpus organicum a rebus externis affici potest: 1) *Virium* mutatione, cujus primaria quidem

causa ~~in~~ materia est, a nobis tamen nondum percipienda. Haec vero virium mutatio haud in hanc dissertationem cadit, cum satis pateat, remedia specifica in materiam operari. 2) Tali mutatione quae ex *materia* sine dubio originem trahit. Eam eodem tempore virium mutatio comitatur. Mutatio materies aut *universalis* est, totum scilicet corpus afficiens, quod quidem raro locum obtinebit, aequabili saltem per totum corpus ratione, aut *localis*, singulis tantum organismi partibus affectis. Inest:

a) Subducto aliquo elemento, quod organismo proprium est, vel b) addito tali, vel denique c) sic mutatis chemicis affinitatibus, unde aut in compositione, aut in proportionem elementorum singulorum mutatio vicissim exoritur necesse est. Ponamus e. g. partem organismi ex elementis b. c. d. constare, quae omnia affinitatibus chemicis quantum fieri possit, arctissime conjuncta sint. Additum jam ad hanc compositionem elementum a. si cum elemento b. praeponderantem affinita-

tem habet, studebit ut cum eo jungatur, qua ratione per elementum a. haud quidem ab elementis c. d. disjungitur elementum b. sed hujus cum illis vinculum laxius et minus firmum redditur. Qua quidem re ulterius etiam affinitates cum aliis contiguis elementis relationem contrahere possunt, unde materiae mutatio proficiscitur, elemento aliquo neque subducto neque addito. Diversa ratio, qua potentiae externae operantur, inest, vel in ipsius medii conditione, vel in organismi earumque ejusdem partium conditione ad quas illud adhibetur, vel denique in externis circumstantiis alius generis.

Ad *potentiae ipsius* conditionem quod attingit, pertinet illuc: mixtionis proportio, forma atque quantitas, per quae influxus potentiae varie mutatur.

Ad *organismi* vero conditionem quod attingit, continet ea: irritabilitatis conditionem, atque formam conditionemque et constructionem, itemque proportionem mixtionis organorum in quae aliqua res operatur,

similiter quodammodo organismi functiones.

Ad *circumstantias alius generis* referuntur: temperiei status atque puritatis aëris et alia fortuita elementa, quae in operatione potentiarum influentium vim exserunt, et cæt.

Ad tria haec, quae diximus in remediis medicis considerandis respicere deberemus. Equidem vero in his de remediis specificis observationibus haud presso pede ea sequar, sed potius *proximum* tum *immediatum* tum *mediatum* eorum effectum persequar, neque quando et quemadmodum per alias res externas immutentur, considerabo, propterea quod longius a proposito me aberrare faciet.

In constituendo influxu externarum potentiarum prae reliquis considerari debet *prae-sens* organismi conditio, num normae conveniens an *abnormis* sit? Nam operatio alicujus influxus longe aliter in corpus morbosum se habet, quam in corpus sanum, imo saepissime prorsus oppositum. Nam — quam placitum Hahnemannianum ³ (v. Hu-

feland Journ. d. prakt. Arzneikunde, 2. Bd. P. 391. sq.) de remediorum medicorum operatione: "ea semper *ex* morbo mederi, cui similem statum in sano organismo producunt" haud omni exceptione majus est, in multis tamen casibus negari et everti nequit, quod eo magis patebit, lecto ejus ejusdem opere:

4 Fragmenta de viribus medicamentorum positivis. Lips. 1805. quod multas observationes maximi pretii continet. In longe plurimis quidem casibus placitum hoc locum haud obtinet, possit vero, ad praxin quod attinet, magnam idem utilitatem afferre, iis casibus accurate definitis ubi locum haberet, atque generalibus regulis indicatis, quae omnes hos casus comprehenderent. Saepissime res aliqua, quae in statu sano nullum effectum prodat, aegrotum maxime afficit, et vicissim potentia aliqua, quae in statu sano vehementissime vim exseruit, in morbo nihil fere operatur. At vero, qua alia re contradictio haec insignis niti potest, nisi in mutata proportione mixtionis materiae? Inde igitur in

materiali methodo curandi remediorum dilectus pendere deberet. Verum notane est in quovis morbo immutata proportio mixtionis materiae? Perspicuene novimus mutationem, quam quodvis remedium in materia morbose immutata oriri jubet? — Donec omnia haec nondum prorsus perspecta habemus, sufficiat nobis necesse est, si quaedam indicata tantum sunt de hac re, aut ad doctrinam Brownianam confugiendum est, quae hac quidem in re ex angustiis nos eripit. Propositum jam mihi est in hac dissertatione, ut, quantum pro virium mearum facultate possim, majorem numerum eorum casuum indicarem, ubi materialiter organismi phaenomena explicare datum sit, praesertim quod attinet ad specificum influxum in morbosam organismi conditionem.

Pars secunda.

De remediis specificis in universum.

I. Notio remediorum specificorum.

Vocis "specificum" notionem accipio hoc loco propria atque vera ejus significatione pri-

maria, qua actionem ejus quod speciei alicui proprium est, exprimit. Remedia specifica sunt itaque *talia, quae ratione, sibi neque ullis aliis remediis propria, morbis medentur.* Hoc quod proprium iis est inest ex mea opinione in eo, quod *immediate tendunt ad vitia mixtionis, quae in organismo reperiuntur*; quae mixtionis vitia aut *universalia* sunt, ubi remedia necessaria constituuntur, quae in certam *morbi formam* operentur, aut *localia*, in quibus ea remedia adhibentur, quae praecipua facultate agendi in certis *organismi partes* praedita sunt.

Verum cum dictum a nobis sit, remedia specifica esse ea, quae morbum certum immediate tendendo ad praesentia mixtionis vitia tollunt, haud inde sequitur, remedia haec *huic soli* morbo, neque ulli alii mederi; neque magis conclusio valeret, ea tantum in hoc illudve organon, neque in ulla alia operari, quod et cum experientia et quavis theoria sana pugnaret. Videmus enim quod uni organo irritamentum sit, idem plerumque et

plurimis, reliquorum esse irritamentum, atque si remedium aliquod in uno morbo efficax reperitur, idem et aliis huic cognatis morbis mederi. Causa hujus rei inest:

1) In eo, quod totus organismus per omnes partes aequabilitate quadam et mixtionis et structurae pollet.

2) In eo, quod organismus in morbis cognatis per similes mixtionis immutationes afficitur, quae ut a similibus remediis tollantur, naturae consentaneum est.

Verba illa id tantum volunt, remedia specifica certum aliquem morbum, immediate ad vitium mixtionis tendendo, *imprimis* tollere posse, eadem in organum certum *prae reliquis* operari valere. Jam cum haud magnus sit numerus casuum, in quibus directe in praesens mixtionis vitium operari possumus, natura remediis operantibus haud directum aditum ad quamvis organismi partem concedente, facile perspicitur, per istam definitionem remediorum specificorum notionem haud ita prolixam esse factam, quam primo

ad spectu videri possit. ⁵ V. *Reil* in Röschlaub Magazin der Heilkunde 3. B. 1. St. P. 55. Quodammodo remedia specifica, quemadmodum ea proposuimus, eadem sunt quae *Hufelandi* remedia alterantia. ⁶ V. ejusd. System, Cap. 15. §. 207. exceptis iis, quae caput de mutatione cohaesionis continet.

Fuerunt temporibus recentioribus, qui remedia specifica ex medicinae regno prorsus exsulare vellent, innixi adeo observationibus antiquiorum, ut Fr. Hoffmanni, qui ea similiter negabat. Etenim cum in eorum operatione miranda quaedam atque abstrusa se reperire crederent, per haec reliquos deterere volebant ab ea recipienda. ⁷ V. *Loos* Entwurf einer medicin. Pharmakol. Erlang. 1802. Pag. 35. Optime atque verissime disseruit hac de re *Gall*. ⁸ v. ejusd. Philosoph. medicin. Untersuch. über Natur und Kunst. Wien, 1791. Pag. 694. "Revera, inquit, nullum phaenomenon hominis vel sani vel aegrotantis nobis notum est, quod sensibus intelligi possit. Producentur omnia per vim

vitalem; quam natura velo densissimo operuit. Quisnam nobis causas exhibet, cur tartari emetici atque radice ipecacuanhae irritatio mollior ventriculum invertat, cum resinae jalappae, aloes aliorumque irritatio fluxum alvi efficiat? Quisnam causas nobis reddit, cur opium, quamvis semper spasmos tollat, omnes excretiones impediatur, sudoremque promoveat? Num minus cantharides, rheum, ligustrum vulgare vias uropoeticas afficiunt, minusve rubia tinctorum ossa et uterum afficit, effectus hujus ratione a nobis vel explicata, vel minus explicata? Num minus effectus, quem virus aut variolarum, aut luis venereae, aut pestis produnt specificus est, minusve ab aliis venenis diversus, si variolarum, bubonum, atque gonorrhoeae virus adspicimus?"

Si animo perquam exiguo, neque omnia complectente, dynamicam tantum organismi rationem, neque unquam materialem omnibus disquisitionibus medicis substernere volumus, si data opera atque modo investigan-

tibus perquam commodo, omnia rejicere volumus, quorum causas haud reddere possumus, si data opera ubique aut tenebras invenire, aut eas ibi inducere, volumus; ubi vel non sunt, vel operam navare debeamus, ad eas dispellendas — tum sane nullus locus est remediis specificis; quae aliter haud negari possunt. Verum cum in hac re multa insint obscura, multa, quae legibus generalibus, quae de organismi ratione atque influxibus in eum propositae sunt, haud adaptari possint, totis viribus in id incumbere debemus; ut has leges generales in methodo specifica etiam ratas esse demonstremus. Quod si factum est, tum utique illud, quod nunc quidem pro certo facto habere debemus, cui vero nusquam locum convenientem tribuere possumus, huc id referentes, nullo meliori loco invento, in sedem accommodatam referri poterit, tum voce illa “specificum” haud amplius ignorantiam nostram confitebimur, quod nunc saepissime accidit. Tum datum nobis erit, ut, qui nunc diversissima reme-

dia sub specificorum nomine comprehendimus, eadem characteribus cuivis propriis distinguere et disjungere possimus.

II. Ratio, qua omnia remedia specifica operantur.

Omnia, quae organismum aliquo modo afficiunt, simul et dynamice et materialiter operantur, quoniam materia haud affici potest, nisi simul immutatis viribus. Nullum itaque est dubium, quin remedia specifica et dynamice et materialiter organismum afficiant, quod *C. Chr. Erh. Schmid* in classico opere, * *Physiologie, philosophisch bearbeitet*. Jen. 1798. 1. B. Pag. 192, 193. egregie exposuit. Quantumvis vero uterque hic operandi modus objective disjungi haud potest, maxime tamen necessarium est, materialem operationem a dynamica subjective discernamus, ut faciliorem hujus rei intellectum reddamus. Cum praeterea materialem methodum sequentes, multifariam occasionem oblatam habeamus hypotheseos hujus non solum ex conclusionum serie, verum etiam

per experimenta fructuosissima satis demonstrandae (v. et hic * C. Chr. Erh. Schmid l. c. P. 164. seq. P. 198. seq.) — propterea materiale tantum rationis, qua remedia specifica operantur, expositionem sequar. Accedit quod, si rationem hujus operationis solummodo dynamicam sequimur, difficultates omnis generis quae superari nequeunt, nos impediunt, e. g.

1. Nullo modo perspici potest, quid causae sit, cur remedia specifica, uno morbo definiti alicuius dynamici characteris (ut lue venerea) ab iis sublato, non aliis quoque morbis ejusdem dynamici characteris medeantur, (ut aliis cachexiis) quod experientia nullo modo confirmat. Scorbutus certe aequè morbus est asthenicus ac lues venerea, at per mercurium non modo non tollitur, verum potius perquam ingravescit.

2. Dynamicus morbi character saepe in ea cum dynamico remedii characterem relatione est, ut morbus per remedium, dynamice tantum si operaretur, tolli nequeat. Univer-

salis certe luis venereae character est asthenia. Jam mercurialia et absolute et mediate debilitantia sunt; (v. * E. Horn Handbuch der praktischen Arzneimittellehre. 2te Auflage, Berlin 1805. Pag. 531.) sunt tamen eadem probatissima adversus luem veneream remedia. Acida quoque ex notionibus dynamorum inter debilitantia referuntur (v. * Röschlaub Unters. über Pathogenie. 2te Auflage. Frkft. am M. 1801. §. 933. seq.); attamen in scorbuto morbo maxime asthenico optimum effectum specificum exhibuerunt.

3. Ponamus remedium aliquod certi cujusdam gradus in effectu dinamico morbo alicui mederi, sequeretur inde quodvis aliud remedium ejusdem gradus in dinamico effectu eidem morbo posse mederi, quod longe aliter se habet, e. g. ferrum et rad. angelicae in eodem effectu gradu collocata sunt, ad statum auctae incitationis quod attinet, quem proferunt (v. * Horn l. c. P. 54. et 56.), attamen prius tantum valet chlorosi mederi, nullo modo posterius.

4. In ea organa, quae maximam irritabilitatem habent, remedia specifica majori cum vi atque prius quam in ea quae minus irritari possunt, operari deberent. Neque hoc ab experientia confirmatur. Splendidum lumen oculo nocet, haud vero membranae Schneiderianae narium, atque, quod prorsus oppositum est, vehemens frigus haud oculo, sed huic membranae nocet. (v. *Gall l. c. P. 69a.)

Periculum hoc, quod instituimus in ratione, qua remedia specifica operentur, materialiter illustranda, praesertim per sequentia defenditur:

1. Quoniam in universum nulla corporea operatio in incorporeas organismi qualitates, cujusmodi vires et facultates tamen sunt, cogitari potest, nisi praecedentem materiae mutationem statuerimus, quoniam hae qualitates a sola materia pendent, et per eam constituuntur.

2. Remedia specifica secundum materialem eorum chemicamque rationem materiali chemico — vitali characteri morbi, adversus

quem operantur, conveniunt. E. g. si, quod adversus aliquem morbum specificum est, huic morbo per certam substantiam medetur, aliud specificum alii simili et cognato morbo per eandem aut similem substantiam medetur; sic alcalia adversus contagia operantur. Porro: si unum idemque specificum adversus plures morborum formas salubrem effectum prodit, inveniuntur in eo semper similitudines in immutatione mixtionis, atque inverso hoc argumento, si adversus unum eundemque morbum plura specifica extant, in mixtione primaria aut hac aut illa similitudine gaudent. Quod locum habet in antifebrilibus, quae omnia terrea principia, principium adstringens (Tanin) atque amarum mixta continent, similiter in remediis adversus scabiem, ut in sulphure, vitriolo et acido sulphurico, in quibus omnibus sulphur, ut videtur, vim suam exserit.

3. Remediis pluribus in unum *organum* operantibus, inveniuntur item in chemica analysi similitudines eorum in mixtione principi.

Sic omnia ea remedia, quae in systema uropœticum operantur, continent oleum aethereum; quaeque hepar afficiunt, kali, natron, aut sulphur, ut fel tauri (cui natron inest secundum *Fourcroy* * v. *Annales de chimie* VII. P. 176. et *Cadet* * v. *Memoires de l'Acad. d. Sciences* 1767.) kali sulphuratum, rad. rhei (quae principium continet, quod "Pflanzenseifenstoff" appellatur v. * *Grindel Grundr. d. Pharmacie*. Riga, 1806. Pag. 20.) aloë? Remedia, quae in nervos operantur, continent principium narcoticum.

4. Ex chemicorum doctrina multa phaenomena exponi possunt, aut saltem lucem aliquam accipiunt, ubi dynamica expositio theoreticos aut prorsus destituit, aut eis haud satisfacere potest; quo pertinent

a. Ratio, qua contagia agunt, quae sine dubio remediis specificis adnumeranda sunt (v. * *Frank Erläuterungen der Erreg. Theor.* P. 385.) Efficiunt enim haec talem mixtionis mutationem in corpore organico, qua hujus cum illis affinitas destruitur, cui rei similia

exempla innumera, in caetero mundo haud vita praedito reperiuntur, e. g. phosphorus magnam affinitatem habet cum oxygenio, quemadmodum corpus organicum cum contagio. Utrisque vero conjunctis, phosphoro in acidum phosphoricum immutato, et recepto immutatoque contagio a corpore organico, desinit illa affinitas, utrisque haud ita comparatis ut conjungi queant, iisdemque invicem saturatis. *Comparari itaque potest processus, qui in corpore organico contagium recipiente et immutante locum habet atque saturatio materiarum inorganicarum cum aliis, ad quas affinitatem possident.*

b. Phaenomenon illud, quod Specificum ultra modum adhibitum morbum ingravescere facit, haud immutato dynamico ejusdem caractere, e. g. adhibito adversus morbum asthenicum irritamento modum excedente (cujusmodi ex dynamicis notionibus adversus luem veneream mercurius foret) oriretur morbus hypersthenicus, irritamento scilicet nimis aucto. Longe vero secus res se habet. Oriun-

tur mala organismi maxime debilitati, febris scilicet mercurialis. Multo commodius vero haec phaenomena ex notionibus materialibus illustrari possunt. Mercurius enim talis mutationis mixtionis in materia auctor erat, talesque corpori substantias vel subduxerat vel addiderat, ut asthenia oriri deberet. Potest enim non solum subductis substantiis verum etiam additis asthenia procreari.

c. Idiosyncrases atque temporaria apathia adversus quaedam remedia. Alii enim homines ab aliquo remedio semper abhorrent, alii certis tantum temporibus; quod si locum habet, ejusmodi mutatio mixtionis in materia invenitur, ut affinitas cum illo remedio aut debilitata, aut nimis aucta sit; unde ab altera parte nimis parvam receptivitatem, ab altera vero nimis auctam oriri necesse est.

Ratio, qua remedia specifica operantur, inest itaque *in eo, quod immediate tendunt ad praesentem materialem morbi conditionem, unde abnormis mixtio in meliorem mutatur, viresque et facultates atque qua-*

litates abnormes (quod mediate inde sequitur) normali statu redduntur. Triplicimodo ad praesens mixtionis vitium tendi potest, secundum argumenta, quae supra (P. 6. a, b, c,) proposuimus:

1) *Substantiam superfluum imminuendo;* quod locum habet.

a. Si remedium specificum cum substantia, quae in organismo nimia reperitur, affinitatem contraxit, huic se conjunxit et sic conjunctum demum illam ex organismo exsulare facit, quod pluribus modis fieri potest:

α. Remedium superfluae substantiae conjunctum hanc volatilem reddere potest.

β. Ex conjunctione compositio ejusmodi oriri potest, quae organa ad expellendam substantiam incitet.

γ. Ex conjunctione compositio ejusmodi oriri potest, quae ab organismo assimilari possit.

δ. Remedio uni tantum parti substantiae superfluae conjuncto, altera pars sic comparatur, ut in organicam materiam recipi possit.

b. Si remedium cum organica materia conjunctionem ejusmodi contrahit, unde ea impeditur ad substantiam amplius vel secerendam vel procreandam vel aliunde recipiendam.

2) *Substantiam, quae nimis parva copia adest, adaugendo.* Hoc rara fit immediate addita substantia, cum *Humboldtio* auctore (v. * ej. Vers. üb. d. gereizte Muskel und Nerven-Faser, II, P. 167. seq.) rarissime fieri possit. In perpaucis illis casibus ubi remedium deficientis substantiae qualitatem habet, talis additio immediate habere potest. In reliquis vero auctio illa alicujus substantiae sequentibus modis fit:

a. Aliqua in remedio substantia affinitatem habet cum materia organica cui conjungitur et substantiam deficientem ei subministrat.

b. Remedium conjungitur materiae organicae atque receptionem deficientis substantiae ex rebus externis efficit. Duplici ratione hoc accidere potest:

a. Sublata per morbum omni affinitate cum substantia deficiente, ex conjunctione remedii cum materia organica, nova affinitas oritur.

β. Imminuta vero tantum per morbum hac organicae materiae cum deficiente substantia affinitate, remedium hanc affinitatem auget. Etiam in natura organica multa exempla reperiuntur, ubi conjunctae duae substantiae, cum tertia majorem affinitatem possident, quam quaevis disjuncta. Sic acido sulphurico atque aqua conjunctis oxydatio ferri celerius efficitur, quam per hoc illudve haud conjunctum. Nam acidum, per affinitatem cum oxydo ferri sibi propriam, conjunctionem maturat. (v. * *C. L. Berthollet* essay de statique chimique. T. 1. §. 184. P. 319.)

c. Remedium subducit tales substantias, quae receptionem substantiae deficientis in organismo impediabant. Ponamus in organismo substantiam a. per substantiam b. esse saturatam, per quam saturationem conjunctio substantiae a. cum substantia c. impeditur. Jam

si substantia b. organismo per remedium specificum, cui inest substantia e. detrahitur, conjunctio substantiae a. cum substantia c. haud amplius impediri poterit.

d. Remedium diminuit reliquarum substantiarum proportionem atque auget inde relative proportionem quantitatis substantiae deficientis vel haud satis magna copia praesentis. Verum haec methodus nec certa satis est, neque satis nota; ut nondum possit atque debeat adhiberi felici successu.

3) *Chemicam affinitatem mutando.* Fieri enim potest, ut per remedium specificum in una vel pluribus corporis organici partibus nisus ad elasticitatem, vel soliditas, vel liquiditas, vel major minorve temperaturae gradus producat et modificetur, unde semper affinitatis quoque vires immutantur, unde novae et conjunctiones et disjunctiones orientur necesse est. Remedium enim, quod nimiam alicujus substantiae elasticitatem minuit, majorem ejusdem cum caeteris conjunctionem efficere potest, atque ab altera parte

elasticitatem si auget, idem remedium laxiorem conjunctionem materiae reddere. Similiter vel aucta vel imminuta soliditate perquam mutari possunt chemicae proportionem materiae, quemadmodum etiam per mutatam temperiem, cum sit notissimum alias conjunctiones in altiori temperaturae gradu, alias vero in inferiori locum habere. (v. *C.L. Berthollet üb. d. Gesetze der Verwandtschaft in der Chemie. Übers. v. E.G. Fischer., Berl. 1802, 7. Abschn. P. 69-78. — *C. H. Pfaff Grundr. einer allgem. Physiolog. u. Pathol. des m. K. Koph. 1801. I. B. §. 163. Hufeland Ideen üb. Pathogenie. P. 232-253.) Atque verisimillimum est plurima specifica hac ratione operari. Verum cum in longe plurimis casibus observatoris oculos fallunt — etenim quis ea perspicere valet, quae in interioribus materiae recessibus fiunt? ubi nondum cuiquam impune pervenire licuit, nec forte unquam licebit? — in paucis tantum ac fere nullis casibus definiri potest, quando talis specificorum effectus inveniatur.

Indicavimus hactenus *immediatas* reme-

diorum specificorum operationes, quae immediatam mixtionis mutationem excipiunt. Reliquum nunc est, ut *mediatas* eorum operationes dispiciamus, nonnunquam ejusdem momenti, imo saepe majoris. Operationes hae (quas quidem *Loos* * v. Entw. einer medic. Pharmakol. Erl. 1802. §. 26. plane abhorret) secundariae vocari possunt, oppositae illis, quas primarias nominavimus. Mediatas hae operationes jam insunt

1. *In iterata mixtionis mutatione*, cujus causa prior illa fuit antea a remediis immediate effecta. Ferraro tantum fieri potest, ut secundariam hanc mixtionis mutationem a principi illa discernamus, arctissime plerumque utraque conjuncta, ut neutra accuratis finibus circumscribi possit. Conjicere vero possumus talem secundariam operationem ibi locum habere, ubi effectus, quos remedium aliquod exserit, nullam proportionem habent ad operandi vim aut remedii copiam. Sunt etiam in inanima natura exempla, quae similibus secundariorum mixtionis mutatio-

nis conjecturam in nobis excitent. Sic exigua fermenti quantitas efficere potest, ut copia substantiarum vegetabilium permagna fermentetur. Similiter perexigua contagii alicujus quantitas totum corpus disponere potest, ad eandem materiam procreandam (v. **Humboldt* l. c. II. P. 145-148.)—*Pathologi*, qui Brunonis systema unice sequuntur, validissimam contra materialem expositionem rationis, qua remedia operentur, objectionem in eo se invenisse arbitrantur, effectum cum quantitate remedii haud convenire; immemores ejus, in reliquo mundo inanimato, ubi nulla facultas vitalis, nulla irritabilitas cogitari potest, phaenomena maxima saepe ex exigua substantiarum quantitate oriri. Ex scintillula ardescente incendia totas urbes devastantia proficiscuntur. Exigua aliquo loco gazis oxygenii resolutio eo usque atmosphaeram immutare potest, ut tempestates atrocissimae tonitribus mixtae exoriantur.

2. *In virium, facultatum et qualitatum*

mutato habitu, qui ex mutata mixtione necessario derivandus est. Mutatus hic habitus, qui quodvis remedium specificum nullo excepto comitatur, propterea in nullo negligi debet. Ut ut ab altera parte verissimum est, propriam remediorum specificorum operationem adversus certas morborum formas esse materialem, ab altera parte haud minus verum est, effectum dynamicum remedii alicujus specifici, quamquam nunquam primum sed semper secundarium atque mediatum, majoris tamen saepe momenti esse, atque latius patere, quam materialem illum. Immutatio haec virium inest in iis vel extollendis immutandisve, vel roborandis debilitandisve. Saepissime accidit, ut ratio operandi dinamica materiali prorsus sit opposita. Materialis ratio *medetur* alicui morbo, quem dinamica ratio, sola si adhiberi posset, perquam ingravescere faceret. Quod si locum habet, ad *tollendum morbum novus morbus per medici artificium evocari debet*. Jam sublato principi morbo, medici maxime urgens est

officium, ut secundario morbo artificioso similiter medeatur. Dimidium tantum valetudinis restitutum foret, si totus sanandi actus in morbo primario tollendo subsisteret. Sequens exemplum lucidius hoc exponet. Mercurius materialiter luei venerea medetur, talem mutationem in materia a veneno venereo morbosa mutata efficiens, ut lues venerea quidem evanescat, at novus aliquis morbus restet, haud minus sanandus. Hujus rei causa inest in ratione dinamica, qua mercurius operatur, quae debilitans est. Jam cum morbi venerei characteritidem asthenia esset, necesse erat ex multis hic debilitantibus operationibus, ut morbus asthenicus remaneret. Inde necessitas illa curationis secundariae tum incitamentis diffusibilibus, tum roborantibus, adhibitis. In aliis vero casibus, ubi dinamica ratio, qua remedia specifica operantur, adversus materialem rationem haud ita ut diximus se habeat, secundaria curatio per idem remedium effici potest, e. g. in febre intermittente per corticem peruvianum.

III. Causa operationis specificae.

Aggredior jam difficillimam hujus dissertationis partem quae proprium totius propositum continet. Ne vero quis expectet nos hic exposituros: quemadmodum quodvis remedium specificè operetur, atque per quas mutationes in organismo talis operatio efficiatur, et quibus legibus specialibus quodvis remedium specificum obtemperet! Nam qui talia auderet, eum nostri temporis zoochemia-, physiologia atque materia medica, quippe quae in rudiori adhuc conditione necdum perfecta versentur, mox deficerent. Leges tantum universales proponentur hic, quibus in trutina veritatis probatis speciales accommodandae sunt. Multis vero modis fieri potest, ut qui in hanc rem inquirat, erret. Ab altera parte rationem, qua remedia specificè operantur, prorsus dynamicam, ab altera eandem prorsus chemicam posuerunt, haud animò revolventes, neutram ex his explicandi modis nunc quidem sufficere. Utroque vero conjuncto vel hic vel illic alii limi-

tes egressi sunt, aut se non defendere poterunt, quin alterutra mancas notiones haberet. Secundum ea, quae supra (p. 16. seq.) diximus, effectus remediorum specificorum materialiter illustrare periculum faciamus, memores ejus, quod nondum eo in physiologia pervenimus, ut omnia vitalitatis phaenomena ex chemicis legibus exponere possimus.

Causa operationis specificae in duorum generum tantum relationibus inesse potest, vel in interioribus, vel in exterioribus relationibus remedii specifici. Haec inquirunt in remedii formam ejusdemque copiam, quatenus per ea definitur, quorsum tendant. Illae vero naturam essentialem remediorum, sive eorumdem mixtionem, quomodo haec ad corpus organicum se habeat, considerant.

A. Relationes externae remediorum specificorum.

1. Forma eorum.

Quod ad hanc attinet, efficacia remediorum specificorum nititur ratione, qua

elementa in formam certam coalescant, in qua elementa haec vel majorem, vel minorem vim exserere possunt; atque, majori vel minori inclinatione eorum ad pristinam formam iterum induendam. Nonnullae substantiae in statu *solido* maximam efficaciam possident, quoniam ea ratione minimo spatio plurimae partes operantes comprehenduntur. Aliae vero maximam vim exserunt in statu *liquiditatis*, quoniam per eam facillime penetrant in eas substantias, in quas iis operandum est, easque resolvunt. Aliae tandem efficacissime operantur in statu *elastico*, quoniam per eum id obstaculum quod efficacitati maxime adversatur, cohaesionis scilicet, facillime vincitur. Nonnullis substantiis status *soliditatis* maxime adversus est, quoniam in eo saturationis atque neutralitatis gradus maximus est, chemicam efficaciam impediens. Aliis vero forma *liquida* adversatur, quoniam partes efficaces in ea maxime diffunduntur, atque a se invicem segregantur. Aliis tandem adversatur *elasticus* status,

elasticitate earum operationem maxime impediente. Prout itaque hae substantiae, quantum fieri potest, aliam formam accipiunt, vis earum in materiam organicam aut minuitur, aut promovetur. Respicienda verum etiam est forma materiae organismi ipsius; etenim prout haec vel solida, vel liquida, vel elastice fluida est, vis variarum substantiarum in eam varia quoque erit. Solidum enim aliud quod corpus in nullum aliud solidum vim exserit, nisi resolutum. Operatur vero modo in corpus aliquod liquidum, modo in elastice fluidum, prout forma horum operationi favet, aut eam impedit, aut prout concentratio per conjunctionem major minorve oritur. Inde patet a nonnullis substantiis partes fluidas magis affici, sanguinem, serum (e. g. a veneno viperarum, a cantharidibus) ab aliis vero solidas.

Aeque considerari debet major minorve elementorum inclinatio ad pristinam primariamque formam resumendam. Substantia enim aliqua formam saepe retinet ea sola de

causa, quod chemice cum alia conjuncta est, qua conjunctione soluta in primariam formam revertitur. Saepissime hoc locum habet. Oxygenium cum mercurio conjunctum primariam elasticam formam repetit, simulac ab eo se jungitur, nec aliam substantiam invenit, cum qua eandem arctam conjunctionem inire possit. Aqua in pristinam liquidam formam revertitur, conjunctione ejus cum quibusdam salibus quorum crystallisationem efficiebat, per calorem imminuta, vel — ut aliis verbis idem dicamus — crystalli liquescunt in aqua crystallisationis. Saepius etiam occurrunt exempla solidarum substantiarum statum solidum iterum assumptum, postquam ab aliis substantiis, cum quibus conjunctae aliam formam induebant, secretae sunt. Fit hoc fluido, in quo solidum corpus resolutum erat, evaporato.

Jam si haec omnia ad corpus organicum referuntur, inveniemus sequentia: si qua substantia, composita ex talibus elementis, quorum forma primario in statu diversi generis

erat, conjunctionem chemicam cum partibus organici corporis inicit, in qua illa elementa a se invicem secernuntur, ea elementa, quae materia organica haud recipit, formam primariam induunt, atque operantur convenienter huic formae proprio sibi modo. E. g. si qua substantia ex parte alia solida, alia vero elastice fluida composita est, atque solida pars cum corpore conjungitur, tum elastica liberatur et cet. Verum etsi elementa haud diversi generis, sed similis sunt, atque in corpore secundum propriam affinitatem unum tantum eorum cum materia organica conjungitur, alterum tamen pristinam formam induit, et sic magnopere operationem immutare potest. E. g. olea aethERICA, quantum ex chemica analysi notum est, composita sunt ex carbonico, hydrogenio, et azoto; quod si itaque in corpore organico unum vel duo horum elementorum eis demta sunt, tertium elasticam formam induere deberet, in qua vel statim novam conjunctionem iniret, repertis substantiis ad quas magnam affinitatem

haberet, vel elasticam formam retineret, donec talem novam conjunctionem inire, vel quocunque modo ex corpore exire posset. Unde forsitan vis carminativa oleorum aethericorum derivanda est, quae itaque originem haberet in vi aliqua haud flatu expellente, sed eos procreante, inde flatu nonnullis cibis sumtis, e. g. crambe, raphanis, aliisque. De legibus chemicis, quibus haec innituntur, conf. * *Cl. L. Berthollet* statique chimique T. I. Sect. IV. §. 152-192.

2. *Copia remedii adhibiti.*

Cum copiae ratio, praecipue si ad remedia respicimus, perquam relativa sit, hic quidem praecipue definiendum est, quae cujusque remedii quantitas organismo maxime conveniat, quae vel modum excedat, vel eum haud expleat. Verissime *Clerc* dixit, nos longe majorem numerum remediorum specificorum possessuros esse, si doses distribuamus ex morborum necessitate v. * *Joh. Gall* l. c. p. 687.

Convenit organismo ea remedii quantitas, quam sibi assimilare potest, vel quae in eum salubrem effectum prodit. *Modum excedit* vero ea, quam organismus sibi haud assimilare potest, vel quae noxae in eum operatur. *Nimis exigua* tandem ea est quantitas, quae nec salubrem, nec noxiam immutationem producere potest.

Quantitas alicujus remedii duplici modo organismo convenire potest:

a. Quatenus ab organis, in quae primarie et immediate operatur illico *totum* assimilatur, quatenusque totam vim operandi unice in haec organa exserit, et immediatam efficaciam in alia organa ea de causa prorsus amittit.

b. Quatenus ab organis, in quae immediate operatur, haud totum assimilatur, atque cum in ea operatur, non totam vim operandi amittit, sed partim quoque ad alia organa pervenit, et partem efficacitatis in ea exserit. Cujus rei duplex quidem est causa.

1) Quantitas remedii re ipsa organo in

quod primarie operatur nimia est, quam ut totum ab eo possit assimilari. Remanere itaque debet particula aliqua, quae ad alia organa perveniat. Sic aqua nimia copia hausta, ut omnes potus in magnis dosibus diuretice operantur. Hoc respectu *quantitas tantum remedii alicujus, quae organo quod primarie afficitur nimia est, alia organa afficere potest.*

2) Exserit in organum, in quod primarie adhibetur, nullam vim immutatricem, quoniam nullam cum eo affinitatem habet, vel ad nullam reactionem id incitat. Quod si itaque tale remedium per universalem actionem vitalem ad alia organa pervenit, cum quibus majorem affinitatem habet, quae ad reactionem insignem incitat, patet inde quod nonnulla remedia specificè tendant. Hoc respectu *quantitas tantum remedii alicujus, quae organo, quod primarie afficitur, nimis exigua est, alia organa afficere potest.* Hujus rei exempla varia sunt in materia medica, e. g. ipecacuanha in reliquum cor-

pus parvis tantum dosibus sumpta operari potest, quemadmodum in universum vomitiva et purgantia. *Fr. Albr. C. Gren* jam efficacitatem mercurii in glandulas, in systema uropoëticum, et tractum intestinorum peracute derivat ex ejus, modo majus modo minus incitantibus, qualitatibus. Quominus enim incitat, eo minus ab organis et primarie effectis, et iis ad quae postea pervenit, ejici potest, eo extensior universa ejus efficacia debet esse. (v. * *ej. Handb. d. Pharmakologie. Halle, 1790. 2ter Th. Pag. 219, 220.*) Conf. * *Joh. Sal. Frank* Vers. einer prakt. Arzneimittellehre. Wien, 1804. Pag. 23. 251. Plurima remedia ad certam specificam operationem efficiendam, certam quoque dosin postulant. Conf. * *Reil* in Röschlaub Magazin d. Heilk. 3. B. 1. St. P. 60.

3. Tempus remedii alicujus adhibendi.

V. hic * *Joan. Testa* de vitalibus periodis aegrotantium et sanorum. Secundum varias morbi periodos et stadia, secundum corporis irritabilitatem diversis anni et diei temporibus diversam, secundum tempus adhibiti

remedii, effectus alicujus remedii, quod praeterea nulla specifica qualitate gaudebat, specifici evadere possunt. Secundum consuetudinem adeo Testa (l. c.) observavit, laxans aliquod apud virum aliquem eo tantum tempore ventrem solvisse, quo in statu sano idem accidere solebat. Emetici alicujus in haemorrhoidibus effectus erat, ut sanguis crassus, nigerque evomeretur. Postea revertebantur haemorrhoides, neque ullum remedium malignis earum sequelis mederi potuit, singultui, asthmati, suffocationis periculo, praeter vomitivum, quod igitur hac occasione specificè operabatur.

B. Relationes internae remediorum specificorum.

Haec dissertationis hujus pars iterum in duas dividenda est, quarum altera observationem de vario statu mixtionis remediorum specificorum continet, altera vero relationem hujus status mixtionis ad corpus organicum exponet.

1. De vario statu mixtionis remediorum specificorum.

In universum duo tantum sunt status, mixtionis ut omnium remediorum, ita quoque specificorum, quando ea ex pluribus elementis composita sunt. Sunt aut in statu saturationis, aut haud saturata. Ex purioribus recentioris chemiae notionibus, sive ex *Bertholleti* doctrina, *saturatio* est is status alicujus mixtionis, ubi in omnibus mixtionis partibus massae chemicae invicem reagentes, aequabiliter distributae sunt (wo das Verhältniß der einander entgegenwirkenden chemischen Massen in allen Theilen der Mischung gleich groß ist) * v. *Fischer* Vers. einer synthet. Darstellung von Berthollets Theorie. P. 322. §. 74. Haud saturata itaque ea mixtio est, ubi massae hae chemicae invicem reagentes inaequaliter distributae sunt. Ad hunc mixtionis statum respicere debemus ubi de remedii sermo est.

Remediorum specificorum elementa *prorsus saturata sunt* invicem.

Jam remedii effectus haud nititur qualita-

tibus *unius* elementi per se, quoniam efficacia uniuscujusque eorum per vires reagentes caeterorum prorsus immutata est, sed nititur unice ea affinitate, quae ex variis affinitatibus omnium singulorum elementorum provenit, (auf der resultirenden Verwandtschaft v. * *Berthollet* statique chimique V. I. P. 309.) Ejusmodi ex hac affinitate effectus ubique cogitandus est, ubi elementa conjuncta primarias qualitates prorsus amiserunt, e. g. in conjunctione elementorum elasticorum in liquidas aut solidas formas, in quibus efficacia semper hac affinitate, quam resultantem vocant, nititur. Aqua, alcohol, alcalia volatilia, ea acida, quae ex elasticis elementis composita sunt, olea expressa et aetherea, resinae, saccharum, mucus, varia genera succorum plantis expressorum, colla, amyllum, principia adstringentia; amara et acria, camphora omnia haec ex solis oxygenio, carbonico, hydrogenio, et azoto composita sunt, atque vires eorum derivandae ex varia horum elementorum conjunctorum proportione. In

ipso illo actu, quo haec elementa elastica in formam solidam conjunguntur, atque si conjunctio talibus in circumstantiis fit, quales esse solent, immutatio haec plerumque locum habet, ut qualitates, quibus antea elementa praedita erant, prorsus fere amittant. Idem vero etiam fit in conjunctione elementorum oppositis qualitibus praedictorum, ubi conjunctiones neutrales oriuntur, i. e. tales ubi duae substantiarum qualitates oppositae in se ipsas transeant per α . (durch Null ineinander übergehen) v. * *Fischer* l. c. P. 289. §. 39. Effectus itaque natri sulphurici (salis Glauberi) haud derivandi sunt a natro vel acido sulphurico, neque effectus kali acetici (terrae foliae tartari) a kali vel aceto, nullum enim horum elementorum vim purgantem in corpus habet, sed a resultante conjunctionis affinitate.

b. Elementa haud sunt saturata.

Jam efficacia remedii constituitur per id mixtionis elementum, quod caeteris praestat, ejusque ad materiam organicam affinitate. Efficacia vero haec tum *copia* elementi pra-

stantioris quantitate scilicet reliqua vincen-
tis, tum effectu intentiori elementi, reliquis
haud quantitate quidem, verum viribus præ-
stantis, nititur. Sic in scilla maritima prin-
cipium acre mucum quantitate non aequat,
at viribus antecellit, v. * *Reil* in *Röschlaub*.
Mag. d. Heilk. 3. Bd. 1. St. P. 42-43. Neque
tamen propterea nobis licet caeterorum ele-
mentorum vim efficientem negligere, ut quae
illius elementi efficaciam multis modis immu-
tare et variare possunt, tum per efficacitatem
sibi propriam, tum per affinitatem cum illo.
Nam etsi maxime conjunctio aliqua mecha-
nica tantum nobis appareat, elementa ejus
tamen per chemicam aliquam affinitatem con-
tinentur, cum perquam ad verum accedere
videatur, omnia corpora faventibus circum-
stantiis chemica invicem affinitate gaudere.
Sic efficacia gummi-resinarum vel ex gummi,
vel ex resina, prout alterutrum horum domi-
natur, constituitur; mutatur vero effectus
non solum efficacia alterius elementi, sed
etiam vi, qua gummi resinam in conjunctio-

ne retinet. Propterea utrumvis horum, et
gummi et resina ab altero segregatum, insi-
gnius quam conjunctum effectus sibi proprios
exserit. Similes conjunctiones in caetera na-
tura, quae mechanicae tantum videantur, sed
revera chemicae sint, inveniuntur in solutio-
nibus (v. * *Berthollet* *statique chimique*, T. I.
chap. II. Sect. I.)

2. *Relatio hujus status mixtionis ad corpus or-
ganicum.*

Duplicem materiam proprie hujus sectio-
nis haberemus 1) influxum conjunctionum sa-
turatarum in corpus organicum et 2) influxum
conjunctionum non saturatarum in idem, de
quibus praecedenti sectione diximus. Verum
cum in longe plurimis remediis praesertim
iis, quae ex organica natura desumpta sunt,
haud satis demonstrari queat, sicutne ea sa-
turata, nec ne, atque ubi demonstratum est,
haud tamen pateat, qua ratione nunc affini-
tas resultans operetur, nunc vero praestans
tantum elementum — ex his causis hunc or-
dinem sequi haud possum.

Causa effectuum specificorum inesse potest, si relationem qualitatum remedii in organismum spectamus, vel in *vi*, vel in *ratione*, qua remedia operantur. Si *vim* effectus consideramus, remedia specifica contra certum tantum abnormem irritationis gradum specificè operari possunt, *Ratio* vero qua operantur, si consideratur, contra certum tantum vitium mixtionis materiae. Hoc discrimen vero, quod posuimus, eo tantum valere potest, quatenus nondum nobis licet, materiales causas immutationum, quas remedium aliquod in irritationis gradu efficit, lucide exponere. Paradoxon videri possit, quod contendimus, per solum effectus gradum remedium aliquod specificum fieri. Verum *videtur* tantum, haud revera sic est. Id enim apud animum reputandum est, haud omnia organismi systemate eodem irritabilitatis gradu pollere, diversis itaque systematibus diversos irritationis gradus convenire. Quod remedium igitur talem irritationis gradum efficit, qualis certo systemati vel organo con-

venit, id huic specificum est. Id vero est: tale remedium, quod proprio sibi modo mutationem in eo efficit.

- a. Consideratur *vis*, qua remedium aliquod operatur, ut altera causarum, qua remedium specifici nomen meretur.

Definiendum est primo, unde vis effectus remedii constituatur. Ad sequentia haec redeunt:

1. *Quo magis partes, e quibus remedia vel vegetabilia, vel animalia constant, elaboratae sunt, eo major vis horum remediorum est in organismum.* Huc pertinet, ut organismus ille, qui remedium aliquod procreavit, ad procreandum vires quam plurimas adhibuerit, et ut ea ejus fuerit conditio, ubi affinitates validissime se exsererent. Multa hujus rei in natura organica inveniuntur exempla:

a) Remedia animalia majorem efficacitatem possident, quam vegetabilia, si ex partibus fere similibus constant; quoniam ad illa procreanda, valentiores vires operabantur, affinitates validius se exsererent, et quoniam

in corpus recepta, facilius assimilari possunt, propterea quod ad materiam organicam propius accedunt.

β) Remedia, quae zona calida subministrat, praecipue quae tropicis circulis comprehenduntur, multo insignioribus effectibus gaudent, quam quae in frigidioribus terris inveniuntur, quoniam calidioris temperaturae validior irritatio omnium organismorum vires ad perfectiorem substantiarum receptarum elaborationem incitat, et quoniam magnus calor maximopere multis compositionibus et chemicis affinitatibus favet. Inde multa illa venena vegetabilia: Menispermum cocculus, Rhus radicans et Toxicodendron, Boa upas et caet.; inde quoque medicamenta maxime efficacia: Papaver somniferum, Laurus camphora, Datura Stramonium Caryophyllus aromaticus et caet. Inde multa illa ex insectis et vermibus desumpta venena, venenosorumque amphibiorum genera, calidae zonae propria. Inde tandem insignior illa contagiorum et miasmatum operatio.

γ) Plantarum alpinarum major est vis, quoniam in regionibus lumen per aërem tenuiorem facilius eas afficit, et quoniam nix et aqua pluvia horum organismorum vires magis incitat. V. * Humboldt über die gereizte Faser II, P. 141-145.

δ) Remedia ex plantis et animalibus desumpta, quae in locis uliginosis, similibusque inveniuntur, ubi putridae et noxiae exhalationes adsunt, majorem influxum in corpus organicum exserunt, quam ex iis, quae locis planis et sanioribus succrescunt; quoniam ibi tales substantiae operantur, quibus affinitates validiores efficiuntur, ut hydrogenium, gas hydrogenium carbonisatum, gas phosphorosum, sulphurosum et alia, cum in aliis regionibus purus aër atmosphaericus tantum, aqua, et ad summum paucae aliae substantiae vegetationem promoveant. Exemplorum loco sint: Conium maculatum, Cicuta virosa, Ranunculus bulbosus, Ran. Flammula, Ran. sceleratus, Arum maculatum, Euphorbium peplus, Solanum nigrum, Chelidonium ma-

jus, Scilla maritima, Agaricus muscarius et cætera; bufones, serpentes.

2. Quod ad effectum earum substantiarum attinet, quae haud ad naturam organicam pertinent, sequentes aphorismi probationem forte mereantur, ad vim si respicimus qua operantur.

In longe plurimis earum causa effectus nos prorsus latet.

Efficacitas earum pendet tum a parte aliqua praestantiori, prout magis minusve latet, atque prout ea per se varios effectus in fibram organicam exserit, tum ab affinitate resultante.

Mixtioni corporis organici substantias sive deducant, sive addant, insignior semper effectus erit, quo major quantitas est substantiarum vel deductarum vel additarum, quo majoris momenti hae substantiae in corpore sunt, et quo major mutatio mixtionis est deductis additisve substantiis effecta. Cujus rei exemplum sit: quod metalla fortius oxydata fortiorem effectum praebent.

Substantiarum eodem gradu intensivi effectus praeditarum, ea magis extensive operatur in corpus, quae volatilior est. Etenim quo celerius eas organismi partes, ad quas principio pervenerat, reliquerit, eo fortius alia organa afficiet. Sic ammonium praeditum gradu efficacitatis intensivae haud majori quam kali, insigniores effectus exserit, soli volatilitati ejusdem tribuendos. Haec alicujus substantiae volatilitas eam vim efficacitati addere potest, ut efficacitate aliam substantiam majori adeo effectus intensitate praeditam, nonnunquam vincat, si haec parvum tantum volatilitatis gradum possidet.

3. *Quo facilius aut totus organismus aut aliqua ejus pars irritari potest, eo major effectus remediorum specificorum in eum exseritur.* Pendet forsitan major haec irritabilitas a majori inclinatione materiae in elementa resolvenda, vel a majori inclinatione ejusdem ad certas conjunctiones ineundas. Quam suspicionem magni quoque physiologi foverunt, ut Reil, Humboldt, Ackermann,

Hildebrandt, Treviranus, aliique. Huc forsitan nititur major specificorum in hoc statu effectus, quod majores mixtionis mutationes arctioresque conjunctiones et insigniores disjunctiones efficere possunt. Verum quis tenebras hic dispellet? Donec hoc factum erit, sufficiat nobis necesse est generale illud effectum, atque nimis audax facinus is suscipiet, qui eorum naturam ipsam explicare conatus fuerit.

Patet ex hac thesi, remedium quod alio tempore haud specificum sit, alio specificum evadere posse. Etenim si organismus in eo irritabilitatis statu erat, ut quodcumque remedium aequam tantum per totum corpus irritationem efficeret, nullo modo hoc specificis adnumerandum est. Sin vero ea organismi conditio est, ut ejus pars aliqua facilius reliquis irritari possit, tum illud remedium, modo ad eam pervenire possit, fortiorem irritationem efficiet, i. e. specificè operabitur. Hinc vero sequitur, multa remedia sub certis tantum conditionibus specifica esse vocanda, et

ex specifico alicujus remedii effectu in aliquo statu morboſo haud conclusionem valere ad ejus effectum vel in statu alio morboſo, vel in sano.

b. Consideratur *ratio*, qua remedium aliquod operatur, ut altera causarum, qua remedium specifici nomen meretur.

Ratio, qua remedium aliquod operatur, pendet ex mutatione mixtionis, quae in corpore organico proprie effecta est. Inest haec mutatio, ut supra (in prima parte) demonstravimus, vel in additione vel in deductione substantiarum, vel tandem in mutatione chemicarum affinitatum. Modus quo remedium aliquod ad certa organa certasque morborum formas tendat, quatenus hoc mixtionis remedii et hujus mixtionis ad organismum relatione nitatur, per sequentia explicabitur, quamquam haud sufficienter.

I. Effectus in certa organa.

(V. hic *Chr. W. Schmid* Kritik der Lehre von den sthenischen Krankheiten. Jena, 1803. Pag. 62.)

1. *Remedium aliquod, quod ad certas materiae organicae substantias insignem affinitatem vel per totam mixtionem, vel per singulas remedii partes habet, specificè in has substantias operatur.* — Hoc modo ratio, qua plurima remedia specifica operantur, forsitan explicanda erit; at, quod dolemus, ipsa haec pars in methodo specifica hucusque maximis tenebris obsita est. Etenim leges affinitatis externarum substantiarum cum materia organica haud definiiri possunt; cum compositiones hic inveniantur prorsus diversae ab iis, quae in reliqua natura occurrunt; cum praeterea substantiarum conjunctiones semper immutantur et quoniam multae circumstantiae nobis prorsus incognitae quovis temporis momento ea mutant, quae ex conjunctionibus et separationibus eveniunt. Falsissimum itaque id fuerit, necesse erat, quod nonnulli concludendo ex experimentis in substantiis organicis quidem sed mortuis efficere volebant. Falsissima praeterea haec erat conclusio: effectum, quem nonnulla re-

media in substantias per totum corpus diffusas exserant: ut in sanguinem, medullam nervorum, fibras musculares, in ossium substantiam, telam cellulosa, in omnibus partibus organismi eundem esse debere. Hae enim substantiae certissime diversam mixtionem, diversam elementorum proportionem habent, pro diversis partibus, quantum usui inserviant. Eorum verum virorum sententia, qui ex unius, alteriusve remediorum elementi natura, effectum remedii explicare studuerunt, manca neque omnia complectens necessario fuit. Per talem errorem alii totam remediorum efficaciam ob oxygenio derivarunt, ut Ackermann (v. * Versuch einer physischen Darstellung der Lebenskräfte,) Girtanner (v. * Gren Journal d. Physik. 3. Bd. 8. Heft. P. 317.) aliique — alii vero omnium remediorum ex *animalibus* desumptorum efficacitatem azoto soli tribuebant; etsi experimenta *Thenardi* de fermentatione vinosa monstrarent in nonnullis substantiis *vegetabilibus* azotum esse posse, quamquam per chemicas analyses haud demonstra-

tum (v. * Annales de chimie, T. XLVI. An XI. P. 313, 314.)

Jure vero in sequentibus casibus affinitatem alicujus remedii cum quibusdam organicae materiae substantiis assumere nobis licet:

α) Si in remedio specifico, aliqua pars insigniter prae caeteris adest laxè tantum cum caeteris conjuncta; et si vicissim in organica materia pars aliqua prae caeteris conspicua est; et ipsa laxè conjuncta cum qua partem illam remedii insignem affinitatem habere experimenta haud fallentia demonstrarunt.

β) Si et remedii et organismi partes, quae ut apparet, ex experimentis in inanimato mundo factis, affinitate mutua pollent, arcte quidem vinctae sunt cum reliquis vel remedii vel organismi partibus, ut tamen ex circumstantiis claris pateat, arctum hoc vinculum solutum esse. Tales circumstantiae inesse possunt, tum in ipsa organismi conditione, ut si aliquo loco fluidum aliquod adest, quo cohaesio alicujus remedii debilitatur et effi-

cacitas unius ejus partis augetur, tum per remedium ipsum produci possunt, ut per temperiei mutationem.

γ) Si post adhibitum remedium conjunctiones haud obscurae oriuntur, quae ex una remedii parte et ea organismi parte, ad quam remedium adhibitum est, compositae sunt. Exemplum praebet Rubia tinctorum, qua adhibita, ossa colorem rubrum trahunt, unde concludimus, specificè eam ad ossa tendere. Simillima res est cum ferro, quo sanguis majorem ruborem ducit.

δ) Si remedium aliquod organi alicujus functiones, sive dynamicam ejus conditionem insigniter et prae omnibus caeteris immutat. Sic ex effectu cantharidum concludimus, inesse ei substantiam, quae cum substantia aliqua in systemate uropoëtico affinitatem habeat; aliter enim earum effectus explicari nequit. Talis remediorum specificorum effectus vel hac ratione jam in organismi statu sano locum habere potest, vel in morbo tandem eo evadit, conditione mixtionis in

nonnullis organismi partibus ita immutata, ut majorem affinitatem inter has partes et remedium intercedere necesse sit.

2. *Remedium aliquod, quod, vel organismo salubre, propter internam conditionem a certis tantum organis assimilari potest, vel organismo noxium, itidem propter mixturem a certis tantum organis excerni, vel alio modo innoxium reddi potest, specificè in hæec organa operatur.* Consequitur hoc necessario ex notione, quam vitæ organicæ habemus, inesse eam in sempiterno certamine cum natura externa, in sempiterno studio, ut se adversus naturæ nisum tueatur, quæ sibi organismum assimilare cupit. Nam si in hoc certamine vita superior esse debet, organa adesse necesse est, quæ tum ea quæ conducant, recipiant, tum noxia rejiciant. Verum cum diversa sint genera ejus, quod salubre, vel noxium habetur, organa quoque tum recipientia, tum excernentia diversi sint generis necesse est. Quam legem ratam esse exemplis a natura petitis demonstratur. Camphora

effectus in cutem exerit, sudorem eliciens camphoræ odorem habentem; (v. * *Hahnemann* fragmenta etcaet. Pag. 56.) Terebinthina afficit urinam, cujus immutatus odor satis arguit, ab urina aliquam remediî partem esse receptam. Veratrum album et alium solvit, et urinam afficit, quorum acritas monstrat, eam hujus radicis partem, quæ propriè noxia sit, per urinam excretionemve alvi e corpore emitti (v. † *Hahnemann* l. c. P. 259.) Lixivium causticum magnâ quantitate sumtum alcalinam qualitatem urinae tribuit. Balsamus Tolutanus eandem odore penetranti impertit. Allii odor per omnes corporis partes exiguo tempore diffunditur, et tam per halitum, quam per expirationem volatilis hæc allii pars excernitur, v. * *T. Percival* in *Samml. auserl. Abh.* 14 Bd. 2. St. Pag. 289. 1800.

3. *Substantia aliqua, quæ in certis organismi partibus morboris ab organis itidem morbose procreatis producta est, has partes specificè afficit, sive processus in iis creat,*

per quos similia organa et similes substantiae producuntur. At, cui rei hic effectus innitatur, ad nostra usque tempora nondum satis definitum est; sive ille derivandus sit ex natura animata et organica veneni, quod sibi eas partes organismi, in quas operator, assimilat — haec *Clossii* est sententia de veneno venereo v. * ej. über die Lustseuche. Tubingae, 1799. P. 41. — sive propriae veneni affinitati cum illa organismi parte tribuendus sit, sive tandem aliis causis producat. Forsan paulo lucidiorem hanc rem per sequentia sistemus:

Contagia utique facultate pollent nonnullas organismi partes sibi assimilandi, unde vero nullomodo concludi potest, vita et organisatione ea gaudere. Nam fermentum aequae hanc facultatem possidet, sibi corpora vegetabilia faventibus circumstantiis assimilandi, quod locum etiam habet in substantiis animalibus putridis, quae alias substantias animales putrescere faciunt. At quis inde contendat, substantiis his vitam et organisa-

tionem inesse? — Jam contagia illa elementorum compositionem sibi propriam habent, atque certa organismi vis necessaria est, ut ab eorum effectibus assimilantibus se tueatur. Certam hanc vim autem haud omnes organismi partes aequaliter possident, quoniam non omnes eadem elementorum mixtione gaudent. Aliae viribus assimilantibus contagii majorem resistantiam opponunt, aliae minorem; in has contagii effectus major esse debet, substantias ex quibus constant sibi magis minusve assimilabit; quae substantiae assimilatae et ipsae assimilantem effectum exerunt; organismi partibus, latius propagato contagio, plus semper virium perdentibus, quibus ei se opponat. Inde patet cur contagiorum effectus haud illico adspiciatur, partim enim tempore iis opus est, ut sibi humores assimilent, partim symptomata initio localia tantum sunt, neque alia esse possunt. Pertinent ad haec contagia, quae specificum effectum ad organa morbosa procreanda habent, variolarum, morbillorum, scarlatinae,

scabiei, cancri, pestis, luis venereae venena
et caetera.

4. *Remedium aliquod, quod magnam
affinitatem habet, cum certis humoribus in
corpore secretis, vel ab his sive assimilatur,
sive resolvitur, sive quocunque alio modo
majorem efficaciam accipit, in ea organa
specificè operatur, a quibus, vel quorum
usui humores illi secernuntur.* Ad hanc ef-
fectus causam per analogiam tantum conclu-
sio valet; experientia pauca praebet exempla,
quae talem stabiliant. Conf. * Jos. Dömling
Giebt es ursprünglich Krankheiten der Säfte?
Bamberg und Würzburg, 1800. §. 46. Pag.
68. 70.

5. *Remedium aliquod ejusmodi, ut certa
organa vel in statu sano jam contra ejus in-
fluxum haud reagere valeant, vel per certas
circumstantias hanc reagendi facultatem
amittant, specificè in caetera organa opera-
tur.* E. g. si tractus intestinorum vel in statu
debilitatis torpidae est, vel pituita obductus,
haud facile remedium aliquod eum afficiet.

sed efficacitatem suam hoc remedium ibi pro-
det, ubi ipsi cum talibus impedimentis haud
luctandum est. Eadem ratione multae sub-
stantiae, quoniam volatiles sunt, influxui or-
ganorum subducuntur, atque his facultatem
adimunt a se afficiendi. Hoc forsitan locum
habeat in camphora, nonnullisque oleis aethe-
reis, parvam efficaciam in tractum intestino-
rum, majorem vero in alia systemata exseren-
tibus.

6. *Substantiae, quae ad tales organismi
locos pervenerunt, ubi in statu normali nun-
quam iis pervenire licuerit, specificam rea-
ctionem hic efficiunt.* E. g. corpus aliquod
in trachaea extrinsecus acceptum, vermes in
sinu frontali, insecta in meatu auditorio, sub-
stantiae irritantes in membrana Schneideria-
na, lapides in vesica urinaria. Omnes hi
loci sic comparati sunt, tum ad functiones
peragendas, tum per eorum constructionem
et mixtionem, ut consueta tantum irritamenta,
affectionesque moderatae iis conducant. Om-
nis itaque affectio aliunde proficiscens, ea-

demque nimia, eos ad reactiones cogit, quibus vel substantia afficiens removetur, ut in sternutando, vel, si hoc minus fieri possit, functiones et status mixtionis organorum destruantur.

Appendicem tandem huius sectioni constituet *Percivali* opinio, remedia nonnulla per digestionem in corpore mutata in ulteriori itinere per corpus, praecedentes et qualitates et mixtionis proportionem iterum assumere. Demonstrare hoc conatur ex sulphure, quod interne sumtum respirationi cutaneae odorem sulphureum tribuat, itidem ex ferri usu, quod in chylō haud agnosci possit, lucide vero in sanguine praesentiam suam demonstrat, atque praeterea ex aliis nonnullis exemplis. In tali mutatione specificam horum remediorum operationem sitam esse contendit; (v. T. Percival über die Kräfte und Wirk. der AM. in d. Samml. a. Abh. 14. Bd. 2. St. Pag. 277-299.) Verum cum haec immutatio, quam remediis ille tribuit, nondum pluribus et cer-

tioribus documentis confirmata sit, ejus ratio haud haberi potest.

II. Effectus in certos morbos.

Si naturam cujusvis morbi, *Reitium* physiologum et pathologum doctissimum sequentes (v. ej. Fieberlehre. I. Bd. §. 3.), in aberratione ab organismi normali et mixtione et forma ponimus, atque contendimus hinc, quemvis morbum, quatenus proprium morbi genus constituat, ex singulari mixtionis vitio ortum trahere, facile quivis intelliget, ad quemvis diversum morbum curandum diversa materiali affectione opus esse. Quod si itaque in natura inanimata substantias invenire possimus, quae praesenti vitio mixtionis organismi prorsus conducant, i. e. quae normalem materiae mixtionem restituant, hae ejusmodi substantiae ipsissima erunt specifica. Sed multum abest, quin ars eo jam pervenerit, quo nunquam forsitan perveniet; et per longum adhuc temporis spatium vel adeo semper sufficientiant nobis necesse est, quae dinamica vo-

cantur, etsi lucide perspiciamus, materialem influxum hic requiri.

Medicamenta duplici modo specificum effectum in certas morborum formas acquirunt operantia:

1. Vel in morbi causam, vel
2. in morbi phaenomena et producta, (ut hoc verbo recepto utamur.)

1. *De remediis specificis, quae in causas morborum operantur, idque in proximam causam.* Causa morborum, contra quam remedia specifica vim exerunt, nulla alia quam proxima esse potest, ex notione quam supra remediorum specificorum dedimus, secundum quam per mutationem mixtionis *immediate* effectam tantum in organismum operantur, nullo modo vero remotiores causae esse possunt; quoniam hae non naturam morbi, non ipsum mixtionis corporis statum abnormem constituunt, sed quoniam vel corpus ad morbum disponunt, vel morbi occasionem praebent, jam hoc non esset, immediate contra praesens mixtionis vitium opera-

ri, si remotiores hae causae tollerentur. Si vero sub remediorum specificorum nomine talia etiam comprehenderentur, quae remotiores causas morbi alicujus tollerent, nimis sane notio eorum extenderetur. Ejusmodi remedia, quae proximam causam aggrediuntur, morbum radicitus curant, naturam morbi tollentia et immediatam mixtionis immutationem in abnormi organismi statu efficientia. Propter elementarem mixtionem affinitatem cum quibusdam morbosae materiae substantiis habent, in quibus solutionem in elementa et novas conjunctiones producant, prout morbi conditio postulat. Resolvuntur enim in quibusdam organicae materiae partibus, quae et ipsae per morbum procreatae esse possunt, assimilanturque ab iisdem et per ea organismus necessarias substantias accipit, redundantes vero substantiae et noxiae cum iis conjunctae vel nocentem in corpus vim amittunt, vel prorsus e corpore expelluntur; tum consueto more, tum insueto, tum per alvi solutionem, tum per urinam aut propriam

expirationem, tum denique per nova organa, e. g. per exanthemata. Restituunt per mutationem mixtionis hactenus incognitam, fibræ turgorem et coherentiam, si fibra laxa sit; relaxant eandem, si nimis adstricta sit. Promovent et incitant organismi functiones, per quas crisis perfecta vel lysis adducitur. Sic diaphoretica operantur in eos morbos, in quibus exanthematum lentus in erumpendo incessus est. Jam ut hæc omnia verbis ex dynamicorum notionibus brevius et significantius comprehendamus: *tollunt ejusmodi remedia illum virium defectum, qui alicui morbo proprius est.* Sed cavendum est, ne per hanc formulam in errorem inducamur, ut effectum eorum mere dynamicum credamus. Nam effectum propterea tantum dynamicè describimus, quoniam materialiter eum exponere nondum valemus; quo aliquam saltem ejus notionem habeamus. Verissimum est, quod *Jos. Gall* optime dixit, cuivis morborum generi, ad virium defectum quod attinet, propriam metam esse positam, quam

si attigerit, morbus, vel solum naturæ nisus; vel omnem etiam artis operam sine fructu esse (v. *ej. philosophisch-med. Unters. üb. Natur und Kunst. Wien, 1791. 1. Bd. Pag. 432. §. 58.); varias præterea vires (proportiones mixtionis, quae viribus substratae sunt) pro morborum diversitate diverso modo affici (Pag. 442. §. 60.); nullam crisis locum habere posse, nisi præcedat motus naturæ morbi proprius, quem semper excipiat status quietis et virium defectus (l. c. P. 439. §. 59.); ad felicem morbi crisis eliciendam non viribus in universam opus esse, sed iis quae morbo convenient (v. l. c. P. 442.)“

Si itaque remedia inveniri possunt, quae ipsas per morbum debilitatas vires excitant, quae proprio motui favent, per quem crisis adducitur, quae tandem virium proportionem ad crisis necessariam eliciunt, jure ea specifica vocanda sunt. Exempla hujus rei sunt: *aether sulphuricus* adversus venena narcotica (v. *C. Horn *Arzneimittellehre*, P. 122.); *coffea* adversus nimium opii et Veratri albi

usum; *opium* adversus *camphoram*, *camphora* adversus *grana coccognidi* et *Daphnen Meze-reum*; *kali* adversus *Gummi guttae*; *acetum* adversus *arnicam*, *Daturam Strammonium* fabas *Sti Ignatii* (v. *Hahnemann in Hufeland Journal der praktischen Arneikunde. 5. Bd. 1. St. Pag. 3. seqq.) *Febrifuga* porro quae vocantur adversus febres (v. *Reil Fieberlehre I. §. 184. Pag. 349.) *China* adversus *mercurium* propter principium adstringens quod ea continet; remedia narcotica adversus spasmos.

Haec omnia, quae hactenus disputavimus, praecepto Hahnemanniano, ut in morbo curando ea remedia adhibeantur, quae in statu sano simillimum morbum artificiosum producere valeant adversari videntur (v. *Hufeland Journ. 2. Bd. 3. St. Pag. 433.) Contendimus enim praesens mixtionis vitium per mutatam mixtionem curandum esse. Verum ad hoc efficiendum haud ea sola remedia adhibenda sunt, quae similem morbum producere possunt, verum talia quoque nonnunquam, quae contrarium morbum procreant, quod Habne-

mann ipse quodammodo fatetur (v. l. c. p. 423) Credo vero praeceptum illud Hahnemannianum, quod, quam falsum sit in universum *Erh. Schmid* (v. *l. c. Th. 2. Pag. 648-50.) lucide demonstravit, his finibus circumscribendum esse. (Caeterum liceat mihi, nullam ejus rationem habere, quod in Journ. d. Erfind. 22. St. Pag. 48-92. de principio hoc dictum est. Partim enim haud refutare videtur opinionem Hahnemannianam, partim alio sensu eam accipere, quam quem ipse auctor constituere et voluit et potuit):

1) Si duae causae essentialiter diversae, vel sibi oppositae, similem corporis statum abnormem procreare possunt, altera earum ad statum hunc tollendum aptissima est, si altera eum procreaverit. Nam uno eodemque tempore *una* tantum alicujus morbi causa esse potest (v. *Röschlaub Pathogenie §. 1492.) et si omnia ea, quae huic causae insunt (quae hanc causam constituunt), per oppositam causam tolluntur, morbus ipse abibit. Jam non solum aliquid quod *similem* statum in

corpore efficit, omnia haec, quae causam constituunt, immutare et tollere potest. Praeceptum itaque Hahnemannianum haud ubique valet.

2) Si vires organicae morbum ad eum gradum extollere, eumque ei statum tribuere haud valent, ubi abnormis mixtionis proportio optime immutetur et restituatur, tum remedium aliquod efficax est, quod primariae morbi causae simul vires ad eandem agendam facultatem incitat, sive, ut aliis verbis idem dicamus, quod similes effectus prodit, quam illa morbi causa. Hactenus principium Hahnemannianum stare poterit, sed etiam hic haud ubique valebit, quoniam non semper opus est, ut morbus ad hunc gradum evehatur, sunt enim quoque remedia morbum prius tollentia, quam illum gradum ascenderit.

3) Si morbus localiter se exerit, et propter ea tantum, quod localis est, corpori noxi fieri potest, si itaque, latius propagatus, immittitur, tum remedium aliquod specificè operari potest, quod in aliis organis quam

quae primarie affecta sunt, eisdem effectus prodit, quos morbi causa in his organis a principio exerit. Huc etiam si respicimus facile patet, praecceptum illud Hahnemanni non ubique valere.

4) Perquam sagaciter primo adpectu praecceptum Hahnemannianum, idque ex principiis Brunonianis, arctioribus finibus circumscripsit *Burdach* (Handbuch der neuesten Entdeckungen in der Heilmittellehre. Leipzig, 1806. Pag. VII. VIII.) Verba ejus haec sunt: omnia remedia, quae certa in organa specificè operantur, majoribus dosibus adhibita, nimiam irritationem in iis producere, minoribus vero dosibus data, astheniam eorum tollere eademque roborare valent. Quod si itaque organum aliis rebus influentibus in eodem statu est, quam quem haec remedia majorem dosin adhibita producere possunt, minor dosis ejusdem remedii astheniam tollere posse, necesse est. Sed sunt plura, quae contra moneri possunt: 1) eademne astheniae directae atque indirectae est cura? Si orga-

non aliquod debilitatum est, per res directe debilitantes, eademne remedia adhibenda sunt, quae adhibentur contra indirectae aetheniae statum? 2) Cur minor illa talis remedii dosis tum effectus salubres haud exserit, cum status morbosus a nimis magna ejusdem dosi procreatus sit? 3) Nullam hoc praeceptum materiae rationem habet, sed solarum virium vitalium; propterea tantum valebit, quando omnia organismi phaenomena nimis sane angusto animo ab his viribus tantum derivanda esse censentur.

2) *De remediis specificis, quae in morbi phaenomena et producta operantur.* Horum remediorum ea ratio est, ut nunquam morbum radicitus extirpent, sed symptomatice eum tantum tollant, et propterea tum iis, quae ad praecedens genus referuntur, semper postponi debeant, tum non nisi magna necessitate urgente adhiberi. In corpus substantias aut inferunt, per morbum ei subductas, aut corpori substantias deducunt, quas morbus nimia quantitate in eo procreat et segregat. Ut

rumvis locum habeat, nunquam ipsam causam tollunt, quae, prius illud si locum habet, substantiarum defectum, sin vero posterius, earundem nimiam copiam effecerat. Symptomatice itaque et ad tempus tantum operantur; causa enim remanet, atque in inferendis, deducendisve substantiis pergit. Operantur praeterea in phaenomena quaedam, quorum nimis magna vis metuenda est, et inde periculum. Morbi actus, quae modum excedant, mitigant; sic remedia antispasmodica, anodyna, sopientia, siti lenientia, aliaque. Vim praeterea in materias, quae a morbo procreatae vel segregatae, ut irritamenta accedunt, morbumque augent et novant causam continent, quibus morbus incurabilis fit. Tales materias a corpore semovent, vel iis cum tales conjunctiones ineunt, quibus mitigantur et magis innoxiae redduntur; immutant mixtionem earum, aut involvunt eas, ita, ut hae substantiae non amplius noxiam in corpus affectum vim exserant.

Pars tertia

De methodo specifica.

I. Notio methodi specificae.

Methodus specifica ea est, qua praesenti mixtionis vitio in organismo per talia remedia medemur, quae immediate et ratione sibi solis nec ullis aliis remediis propria ad hoc vitium mixtionis tendunt.

Verum in minima morborum parte rationem, secundum quam remedia haec ita tendunt, explicare poterimus, per experientiam solum edocti, hanc tendendi rationem revera inveniri — methodus specifica ad nosita salutem usque tempora empirica habenda est, et habebitur, donec internae mixtionis in corpore mutationes ex externarum potentiarum influxu genitae, nos haud amplius latebunt. Maxima difficultas, quae ab eo scopo, quem medici in provehenda methodo aliqua curandi propositum sibi habere debent, ut scilicet hanc methodum rationalem reddant, praecipue in methodo specifica eos repellit — inest in eo, quod vivum est corpus, cui reme-

dia adhibeantur, atque tale quod quovis temporis momento mixtionem immutat, cujus partes, a quibus constat, proximae, dici nequit, sintne producta an educta, et, residuumne sint processuum organicorum, an revera per vegetationem segregatae, an tandem extrinsecus tantum in corpus receptae; (v. * *Steffens Beiträge zur inneren Naturgeschichte der Erde*, Pag. 39, 40.) num itaque essentialiter ad processum vitalem necessariae sint, nec ne, et quantum ad eum conferant? — Itaque ne in promptu quidem nobis sunt experimenta omni dubitatione exempta, et quod concludendo tandem ex his experimentis efficere velimus, sexcentis erroribus scatebit.

II. Indicatio adhibendi methodum.

Ex his quae modo disputavimus, jam colligere licet, remedia specifica hucusque rarerent esse adhibenda, cum saepissime ratio nos destituat atque experientia saepe coecos errores progignat. Usus remediorum specificorum redibit ad sequentia:

1) *Si praesens mixtionis vitium in or-*

ganismo una cum immediata mutatione, quae per remedium aliquod in eo efficitur, nobis notum est. Quae in re modo majori cum securitate, modo cum minori procedere nobis licet; revera enim locum habere potest, ut experimenta de praesente morbo jam habita sint, quibus doctrina superstructa est, ex qua facile patet, quatenam substantiae organismo desint, aut nimia copia adsint, aut quatenam affinitatum immutatio praecesserit, quemadmodum etiam ab altera parte demonstratum est, ex quibus substantiis remedium constet, quasnam conjunctiones ineat in hanc illamve substantiam, praecipue organicam, operans. Certitudinem hanc, ni fallimur, adepti sumus de acido phosphorico, cujus utilitatem in curie curanda *Lenpina* demonstravit, et quod perquam probabiliter per affinitatem cum calce, id quod acidi phosphorici ossibus deest, compensat. (v. * *ej. neue Beobachtungen*, 1798.) Eandem certitudinem praeterea adepti sumus de utilitate remedium mucilaginosorum, ut de Salep, Sa-

go etcet. in ejusmodi morbis, qui per immane pituitae intestinalis damnum constituuntur, e. g. in dysenteria, atque de utilitate nutrimentum gelatinarum, collae, tum, cum per graves haemorrhagias, sempiternamque virium exhaustionem harum substantiarum copia in organismo imminuta est; sic colla adhibetur contra febres intermittentes ex praeceptis *Seguini*, *Gattieri*, *Radgi*, *Calatoni*, aliorumque. Similem certitudinem assecuti sumus de remediis, quae ferrum continent, utilitate, in ejusmodi morbis ubi sanguis eo oxydo ferrico destitutus est, quo in statu sano praeditus est, ut in chlorosi, aliisque cachexiis, quae nimio sanguinis pallore arguuntur. Idem forte locum habuere in adhibendo sale cornu cervi, vel omnino in adhibendo alcali volatili adversus morbos ex onania vel nimio veneris usu ortos, in quibus remedium hoc forsitan principium per semen amissum sive immediate, sive mediate restituit. Memorabile exemplum narratur a *J. Fr. Isenflammio* (v. *prakt. Ann. über die Eingeweide*.

Erlangen, 1784, Pag. 264.) vomitum biliosum, qui ex Isenflammii quidem conjectura ex induratione pancreatis ortus erat, per solum Tritici repentis succum recentem curatum esse. Defectum succi pancreatici, qui a pancreate haud secerni potuit, compensavit forsitan hoc Triticum repens. Multo minor eorum morborum est copia, ubi ex alicujus substantiae nimia copia indicatio derivatur, ad ejusmodi specifica remedia adhibenda, quae hanc substantiam sive relative, sive absolute, ad proportionem, cum caeteris substantiis quod attinet, imminuant. Huc forsitan referendum est, exemplum aliquod, quod humanitati *Balki*, praceptoris venerandi, debeo, ex quo patuit, in infante aliquo maxime irritabili, nimiam electricae materiae copiam affuisse, quae per magnam sensibilitatem, per convulsiones, si tactus fuit pannis laneis, agnoscebatur; cui morbo simplicissima ratione, at certe maxime conveniente, medebatur, permulsione scilicet metalli, quod electricitati conductor erat. Multo

major in remediis specificis adhibendis incoerentia est, quando mixtionis vitium in mutata affinitatis proportione inest, quippe quae in longe plurimis morbis prorsus nos latet. Videmus quidem talem proportionem adesse; aliae enim elementorum conjunctiones oriuntur, etsi organismus easdem quam antea in statu sano substantias extrinsecus recipiat; alius generis sunt, quae ex his conjunctionibus sequuntur et producuntur, omnium verum horum causam nondum explorare potuimus.

(2) Quod si postremum hoc locum habet, itidem si nonnullarum substantiarum vel defectus, vel nimia copia nostram perceptionem fugit; secunda indicatio ad remedia specifica adhibenda observanda est, ut scilicet ibi adhibeantur, ubi nos quaevis alia curandi methodus rationalis destituit. Vagamur jam enim per campum empiriae crassissimae, quem pedibus tangere, qui vere medici nomen merere studet, quantum fieri potest reformidat. At dolemus longe maxi-

rum remediorum specificorum numerum in finibus hujus methodi esse inclusum, unde horror ille, quo medici rationales haec remedia excipiunt. Impediunt vero hi eodem horrore progressus in cognoscendis effectibus horum remediorum, impediunt, hac quidem in re, veritatis studium. Abjiciant illum, diligentiusque perscrutentur hanc medicaminum classem. Innumeri fere sunt casus, ubi omnes aliae methodi curandi ad statum morbosum tollendum haud sufficiunt, neque excitans, sopiensve, neque incitans, antiphlogisticave, neque derivans, adducensve irri-tationem, neque roborans debilitansve, neque relaxans adstringensve, neque restaurans evacuensve, et quae praeterea methodi curandi nomina reperiuntur. His necessitatibus si quis circumventus erat, cum in arte medica nullum praesidium inveniret, ut si quis tenebris involutus est, primum quodque remedium empiricum quod manibus se obtulit, arripiebat, audebatque, cum jam vita in summum discrimen adducta esset, incer-

tas spes ex hujus remedii operatione fovere. Saepissime eventus votis respondit — invenerunt quod vix sperabatur, morientem ad sanitatem reduxerunt, eum qui cum semperternis morbis conflictabatur, qui, etsi vivens, mortui tamen speciem prae se ferebat, nova vita donaverunt. At quo majori cum certitudine ingredi hanc viam liceat, omnino necessarium est, ut 1) ii casus summa cum cura indicentur, in quibus neque remedia illa, quarum effectus haud dubitatus est, neque aliae substantiae, quarum in organismum operandi rationem explicare possumus, ullam opem afferre possunt, et 2) ut eae substantiae indicentur, ad quas medici hic confugerunt. Jam casus illi, cum remediis, contra eos adhibitis sequentes sunt:

a. Organorum vel partium organicarum mixtione ita ignoto nobis modo in deterius mutata, ut neque propriis sibi functionibus, neque iis, quibus pro aliorum commodo praedita sunt, satisfacere valeant. Invenimus hoc e. g. in cancro et in ulceribus venereis, in-

quibus ichor partes adjacentes sibi assimilat, iisque vim demit, partem canerosam venreamve alendi; in scirrho quoque, qui pro parte glandulosa prorsus inorganica habendus est, in qua sanguinis circulatio tota impedita est (v. *Horn Handbuch der medicinischen Chirurgie* §. 217. Th. 1.); adversus hos morbos rationaliter incurabiles empirice arsenicum, belladonnam, cicutam, digitalem purpuream, mercurialia medici commendarunt, eorumque effectum salubrem invenerunt.

b. Cum neque per remedia externa localiter adhibita, neque per generalem in totum organismum operationem, neque per aliam curandi methodum, certum vitium locale tolli potest, tum ejusmodi remedia rite adhibentur, quae salubriter in id vitium tendere multiplex experientia docuit. Ut adversus astheniam pulmonum, phallandrium aquaticum, scilla maritima, polygala amara; systematis portarum: sulphur, aloë, rheum, fel tauri, chelidonium majus; ventriculi: omnia quae

vomitiva vocantur parva dosi data; tractus intestinalis: omnia purgantia, quibus drasticonum nomen, parva dosi propinata, atque remedia amara; nervorum: remedia narcotica, volatilia, aetherea, camphoracea; partium genitalium: cantharides, camphora, vanilla, allium sativum, phosphorus, etc. (v. * *Fr. Kretschmar Versuch einer theoretisch-praktischen Darstellung der Wirk. der Arzneien.* Halle, 1800.

c. Cum remotior morbi causa in ejusmodi substantiis inest, quarum mixtio nos latet, et quas per certas alias in elementa resolvere possumus, quae resolutio vero nos haud minus latet. Hoc e. g. locum habet in plurimis venenis animalibus, adversus quae alcalia optimum specificum effectum prodiderunt, ut adversus serpentum, araneae tarantulae, scorpionis venena, tum spiritus salis ammoniaci causticus, tum cali causticum (v. *Joh. Fr. Gmelin allgemeine Geschichte der thierischen und mineralischen Gifte.* Erfurt, 1806. Pag. 30: 38: 81: 93.)

d. Cum vires organismi anomaliter agunt, cujus actionis causa in ignota mixtionis materiae mutatione inest, tum ejusmodi remedia adhibenda sunt, quae ex effectu per multiplicem experientiam demonstraverunt, se actionem illam perdomare. Effectus hic inest in materiae mutatione similiter nobis ignota. Exemplorum loco sint remedia antispastica, methodus Stütziiana in tetano et spasmodicis generalibus tollendis, externa infusio Linimenti antispastici Sell., infusio linimentorum quibus narcotica immixta sunt; praeterea adversus varias formas efficacitatis nervorum intensive debilitatae at extensive auctae, oxydum zinci et bismuthi (* *Reiz* Fieberlehre, 4. Bd. Pag. 191.) vitriolum cupri, valeriana, folia aurantiorum, rad. paeoniae, hyoscyamus niger, moschus, castoreum, opium, magnetismus, Parkinismus, electricitas negativa. Insuper: adversus debilitatam nervorum actionem omnia remedia volatilia, quae fere in solos nervos operantur, ut naphtha vitrioli, nitri, aceti et caet. olea empyre-

umatica atque aetherea, camphora, electricitas positiva et caet.

3) Adest denique eorum remediorum indicatio, quae ad praesens mixtionis vitium proprio modo immediate tendunt, *tum, cum sanus instinctus quem dicimus, in aegrotum cupidinem hujus remedii excitat.* Unicum saepe remedium hic instinctus est, quod medico, ubi jam de vita desperavit, rectam viam monstrare potest. Nullum jam remedium adest, quod salubres effectus exserat; optima medicamina maximis dosibus sine fructu adhibita sunt, medicus ipse aegrotum jam inferos ingredientem videt — repente aegrotus cum cupidine appetit aliquid, cujus cum statu morbosque nexum ars nullo modo indagare potest, quo sumto sanitatem ille adipiscitur. Sunt vero ab altera quoque parte appetentiae morbosae, quae tantum abest, ut aegrotum convalescere faciant, ut potius majoribus eum malis impediunt. Sic qui vermibus laborant plerumque alunt cupidinem ciborum farinosorum et pinguium, etsi hi vermibus

procreandis perquam faveant. Similiter qui lenteriae obnoxii sunt, initio morbi bulimia laborant, etsi cibus vel minima dosi sumtus ventrem iis intoberabili modo inflat et incommoda magna alias quoque generis procreet. Ji, qui in venere, vel in onania nimii fuerunt, salacitate saepe affecti sunt, etsi expleta libidine mala augeantur. Sunt innumera ejusmodi exempla. Maximi momenti itaque ea est quaestio, qua ratione sanus instinctus a morbosa appetentia et noxia cupidine discerni possit? In re adeo incerta atque dubia ut quodammodo aliquid inveniamus, cui insisteri queat, antea in eam quaestionem inquirendum est, unde instinctus oriatur? Observatio illa verissima neque infitianda: instinctum conspicuum esse in generibus animalium imperfectioribus magis quam in perfectioribus, ad eam suspicionem nos perducit: instinctus et rationis inversam in animalibus esse proportionem. Optime hujus rei causam *Herderus* (v. * ej. *Abh. über den Ursprung der Sprache*. Berlin, 1772. Pag. 31-38.) posuit

in eo, quod imperfectiorum animalium actio angustioribus limitibus circumscripta est, quod gaudent minori quidem extensione motuum, elementorum, nutritionis, conservationis, coitus, educationis; et vitae socialis (Pag. 32.), majori vero sensuum acumine, eorumque ad singulas res concentratione. Quo magis diversae, pergit idem Pag. 33., animalium functiones, quo magis diversum consilium, quo genita sunt, quo plures res animo attento comprehendant, quo magis vagam vitae rationem secuta sunt — ut brevi dicamus, quo latiores sunt fines, quibus actio eorum porrigitur, eo magis debilitantur atque in partes distrahuntur sensuum perceptiones, et cum iis simul instinctus. Hoc si comparamus cum hominis vario statu, vel sano, vel aegrotato, sequens concludi poterit: ubi latissimi sint actionis humanae fines, ibi instinctum maxime latere (v. * *Ich Versuch einer Anthropologie*. Winterthur, 1803. 1. Th. Pag. 409, 410.) Sin vero homo in ejusmodi statu est, in quo sensus alicujus,

sive externi, sive interni, actio, arctioribus finibus comprehenditur, ita ut, quae homini propria est facultas, latos et extensos actionis fines nec animo nec sensibus percurrere valeat (impedit vero major hic ambitus animo emetiendus, ut ad singulas res omnem aciem mens adhibeat) — instinctus emineat necesse est, atque eo verior, eo magis organismo salubris erit hic instinctus, quo arctioribus limitibus actio circumscripta est. Locum hoc habet in infantibus, hominibus barbaris naturae convenienter viventibus et in nonnullis aegrotis, ubi tota organismi actio ad rem aliquam, quae in ipso aegroti corpore inest, unice dirigitur, ubi quidquid aegrotus cogitet, quidquid obscure perceptum animo sibi representet, unice ad hanc rem refertur. Idem locum habere debet in statu illo artificioso exaltationis per magnetismum, de quo J. Heinen, Eb. Gmelin, Pezold alique experimenta digna memoratu instituerunt. Necesse est itaque ut in eo constituendo, num instinctus in aliquo morbo salubris sit, nec ne, ocu-

los undique conjiciamus in fines, quibus actio sensuum in statu praesenti circumscribatur; nam inde tantum id colligi potest. Indicasse haec sufficiat, uberius vero exponere tum nimis difficile est, tum longioribus ambagibus ne nos detineat veremur.

Non satis accurate definita sunt, quae *Gallius* habet (l. c. Pag. 673. §. 115.) instinctum tum esse salubrem, quando, quae in organismo animali conjunctae operentur vires, conservando organismo inserviant, eique sufficiant. Etenim: 1) quis unquam constituet, quando hoc locum sit habiturum? Etsi enim ex hominum cognitione in morbis desperatissimis nullae vires naturae superessent, factum tamen est, ut vires recolligerentur et morbus tolleretur. 2) Inveniuntur casus, in quibus nullo modo statuendum est, salubrem esse instinctum, etsi vires adhuc ad conservandum organismum sufficiant; ut in iis, qui vermibus laborant, in quo morbo, quis credat vires jam prorsus jacere?

Nimius vero *Reilii* est, (v. * Fieberlehre

Th. I, §. 256. Pag. 457.) qui appetitum singularem in febribus orientem semper boni esse ominis contendit. Saepissime enim, nisi semper, ex pessumdata virium proportione producitur. Quod, quomodo boni ominis esse potest?

III. Cautelae in adhibenda methodo specifica.

Nulla est methodus curandi generalis, in qua adhibenda ea circumspectione opus sit quam in specifica, quoniam nulla iis difficultatibus laborat, quibus haec. Cauta haec procedendi ratio, non solum in practica hujus methodi parte, verum etiam in theoretica commendanda est. Erraneae opiniones alieno tempore in singulis casibus adhibitae, nusquam alias tot damna afferre possunt, quot hoc loco.

1) Cautelae ad theoreticam methodi specifica partem quod attinet.

1. Noli credere absoluta esse remedia specifica contra eas morborum formas, quae in rerum natura nobis occurrunt, et a nobis

cognoscuntur. Magni momenti haec est regula, et optima sunt, quae *Hahnemann* (v. *Hufeland Journal der praktischen Heilkunde. 2. Bd. 3. St. Pag. 417-421.) de ea dixit. Contra simplices morborum formas vera tantum specifica sunt exspectanda, nunquam vero adversus compositas, implicatas et variis rebus externis effectas. Forsan cuivis morbo simplici suum est remedium specificum.

2. Caveto, ne in eo constituendo, quod proprie principium operandi in remediis sit, fallaris. Attenderat huc jam *Fr. Hoffmannus* (v. ejusd. diss. de vera medicamentorum in morbis virtute et efficacia rite dignoscenda. §. 64.); "certa illa, inquiriens, in experiendis medicamentis incedet via, qui elementa activa, quibus agunt, vel agere possunt, a priori cognoscere annititur." Sed ex ejus temporis cognitione de primaria corporis mixtione ipsum saepissime hoc respectu errasse, necesse est. Et difficillimum est agnoscere, quidnam sit, quod in hoc illo remedio operetur. Etenim partim ipso illo tempore, cum

maxima efficacitate pollet, minima quantitate in mixtione adesse potest, partim vero prorsus perceptionem nostram fugit, et conjiciendo tantum ejus existentiam subodorari possumus.

3. *Noli credere absoluta esse specifica quae in certa organa certum effectum semper exserant.* Saepissime hoc vitium medici admiserunt, ut cognita alicujus remedii in organum operatione, quotiescunque organum hoc morbo laboraret, remedium illud semper adhiberent. At affectiones illius organi perquam diversi generis, imo oppositi esse possunt, ita ut modo illud remedium congruens sit, modo vero minus. *Arnemann*, ut exemplo rem illustremus, Sulphur auratum ait salubres effectus prodere in affectionibus pectoris, morbis cutaneis (v. ejusd. praktische Arzneimittellehre. 4te Aufl. Pag. 191.) neque tamen addit, in quibus tandem? Adhibendane sunt illa remedia simili modo adversus hyperstheniam, astheniamque, nullo respectu habito varii mixtionis status? — Adesse prae-

terea possunt causae, quibus remedii alicujus in certum organum operatio impediatur. Potest eadem conditionibus subjecta esse, facillime mutabilibus.

4. *Noli tandem credere, absolutam remediorum specificorum esse operationem in certas aliquas substantias per totum corpus diffusas.* Substantiae enim hae per corpus diffusae pro variis organismi partibus, in quibus insunt, variam mixtionem acceperint necesse est. Et, ut variae corporis sunt partes, quibus insunt, ita localiter quoque substantiae illae quoad mixtionem diversae esse debent. Inde concludi potest, unius ejusdemque remedii haud eandem vim in illas semper esse.

2) *Cautelae ad practicam methodi specificae partem quod attinet.*

1. *Imprimis illud observandum est, ut efficacia remedii specifici efficacitatem primariae morbi causae neque longe superet, neque multo inferior quam ea sit.* Prius si

locum habet, morbus alius oritur haud minus periculosus, imo forsitan periculosior. Per posterius vero haud assequimur, quod nobis in adhibendo remedio propositum erat; potest etiam per parvam illam mutationem, quae ex minori remedii quantitate producitur, noxii aliquid oriri.

2. *Illuc attendendum est, ut dynamico efficacitatis caractere materiali opposito, oppositio haec, ut debet, tollatur.* E. g. si remedium in morbo asthenico adhibitum, ex rei necessitate magnum debilitatis gradum reliquerit, tolletur haec per bonam curam secundariam, adhibitis remediis roborantibus, tonicis, amaris, adstringentibus. Invenimus hoc in mercurio adversus luem veneream adhibito.

3. *Antequam remedium adhibeatur, omnia quae efficacitatem remedii specifici impedire possunt, caute summoveantur.* E. g. si remedium aliquod in organum aliquod operari debet, curandum est, ut organon remedium recipere possit. Si idem organismo

substantiam aliquam adducere debet, augeatur simul actio organorum hanc substantiam recipientium per remedia dynamica, et remedium ipsum adhibeatur, compositum si est, in ejusmodi circumstantiis, quae ejus in elementa resolutioni faveant. Si vero organismo substantiam demere debet, organica materia ita conformanda est, ut facilius etiam resolvatur, e. g. adhibeatur remedium in magno temperaturae externae gradu, in aëre puro, et oxygenii pleno. Summoveantur circumstantiae, quae fortiorem organicae materiae conjunctionem efficiant, quantum sine ullo organismi damno fieri potest (v. * *Hecker* therapia generalis Pag. 462. §. 632.) Opera praeterea danda est, ut, quae principi operationi adjunctae forsitan sint, noxiae aliae operationes, tollantur.

4. *Necessarium itaque est, ut remedium aliquod adversus morbum aliquem commendatum et probatum, idem morbus si recurrit, ita ut certo nobis constet, eundem hunc esse morbum, in minimis etiam eodem modo ad-*

*hibeatur, ut adhibitum est, tum cum salubres ejus effectus vidimus. Eadem itaque dosis adhibenda est, eodem tempore, iisdem conjunctionibus, haud longiori temporis spatio, in eadem vitae ratione; modo aegrotus eadem constitutione, aetate, vitae ratione, eodem sexu, et temperamento sit; ad quae omnia similiter a nobis respiciendum est. (v. * Hecker l. c. Pag. 463. §. 633. — Fr. Hoffmann l. c. §§. 60-62. §. 67. — Ejusd. diss. de cognoscenda corporis humani natura ex effectu remediorum §. 1.)*
